
Kupiono 26. II. 1946 za 250 zł

WiMBP
Opole

II

245 st.

Akc. VI 430/5/67/C



ICONES & VITÆ PRINCIPVM ac REGVM POLONIÆ omnium *Adornatæ* atque *Collectæ* à SALOMONE NEVGEBAVERO de Cadano.

FRANCOFVRTI AD MŒNVM
In Bibliopolio Iacobi de Zetter
Typis Hartm. Paltheny.

Anno M.DC.XX.

Liber Willmi Burton de Lindley com: Leic: 1623:

Illustribus ac Generosiss. Dn. Dn.

ANDREÆ & RAPHAELI LESZCINIIS,

COMITIBUS A LESZNO &c.

FFrr. germanis

ὑγιαίνειν καὶ εὖ πράττειν

SALOMON NEVGEBAVER
à Cadano.

IMAGINVM AC STATVARVM vsum antiquum & perutilem esse, Illustres DOMINI, docent nos veterum probatorumque monumenta Auctorum. Vetustatem earum arguit ille olim dudum à Gentibus frequentatus mos: quo præclarè de Republica meritis & statuas in publico consecrârunt: nec in publico solùm, verùm etiam in ædibus ac domesticos intra parietes & sacraria demortuorum signa memoriæ & virtutis imitandæ ergò virorum insignium simulacra statuerunt. Græci omnium primi id feciſſe feruntur: qui Dijs, Imperatoribus, ac Principibus suis imagines statuasque erexerunt. Ab his vt alia, tùm Reipublicæ administrandæ documenta, tùm artium atque scientiarum prima rudimenta acceperunt Romani.

 Quem-

Quemadmodum enim in Græcia, ita & in Italia viris, qui domi foriſque res geſſiſſent egregias, ad roſtra effigies ſtatuaſque collocârunt. Hinc laudantur ſtatuæ & icones Alcibiadis, Demoſthenis, Periclis, Pythagoræ, Iulii Cæſaris, Catonis vtriuſq;, & cæterorum apud Plutarchum: apud alios aliorum, quos hîc referre neceſſe non eſt. Et hanc ob cauſam Imperatorum Romanorum imagines è Prouinciis Romam, & contrà ex vrbe ipſa in Prouincias mittebantur: vt, quos præſentiâ non poterant, imaginibus ſaltem honorarent.

De vſu verò ac vi eiuſmodi iconum conſtat non ſolùm delectationem inde, ſed & virtutis ſtimulos capi. Verè enim apud grauiſſimum belli Iugurthini ſcriptorem ille: *Sæpe audiui ego, Q. Maximum, P. Scipionem, præter ea ciuitatis noſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere: cùm Maiorũ imagines intuerentur, vehementiſſimè animum ſibi ad virtutem accendi: ſcilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in ſe habere: ſed memoriâ rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere, neque priùs ſedari, quàm virtus eorum famam atque gloriam adæquauerit.* Perfecta autem videtur nobis tùm omnis imaginum ſignorúmve ratio futura: vbi ipſis ſignis ac ſimulacris vitæ quoque acceſſerit, & virtutum ſuccincta deſcriptio. Hoc enim modo & corporis & animi repræſentatur effigies, ac quaſi homo totus ſpectandus exhibetur: nec illud vulgare ſit lemma ſubſcribendum:

—— Sic ille oculos, ſic ora gerebat:
Effigiem mentis pingere nemo poteſt.

Hoc fine, & vt Hiſtorię Polonicę vel compendium, vel additamentum eſſet, vitas & icones iſtas Principum ac Regum Poloniæ, qui patriam excoluerunt, excultam defenderunt, defenſam

fenſam ad nos vſque beneficio nunquam intermorituro tranſmiſerunt: & quorum tot nominibus memoria nobis cõmendata æternùm ſancta eſſe debet, publicatas volui.

Vobis autem Illuſtres DOMINI ea inſcribere placuit, tùm vt deuotæ obſeruantię monumentum erga inclytam familiam veſtram, de me non vno nomine benè meritã, publicitus ederem, tum vt vobis in veræ pietatis ac virtutis ſtadio alacriter currentibus calcar ſubderem. Habetis exempla illuſtrium majorum veſtrorum, libertatis patriæ vindicum acerrimorum: inprimis verò proaui veſtri RAPHAELIS LESZCZINII Palatini & Præfecti Breſtenſis Cujavienſis, qui, vt legi comitiali de magiſtratu gemino vno in loco ſimul non gerendo ſatisfaceret, Palatinatu ſe abdicauit: quem haud multò pòſt Rex Sigiſmundus Auguſtus ob inſignia in Rempubl. merita Caſtellanatu Sremenſi cohoneſtauit: Habetis aui veſtri laudatiſsimę memoriæ ANDREÆ LESZCZINII Palatini itidem Breſtenſis, necnon propatrui veſtri VENCESLAI Palatini Caliſſienſis, qui dignitate Senatoriâ magna cum laude functi ſunt, & etiamnum funguntur: Habetis denique ipſiuſmet illuſtris parentis veſtri Caſtellani Caliſſienſis domeſticum exemplum, Senatoris regni non è multis, quiq; ſecundùm Homericum illud, Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

De quibus omnibus neq; locus, neque tempus hîc dicendi aperitur: celebrantur alibi eorum nomina meritiſſimè, quemadmodum hiſtoriarum monumenta conteſtantur. Eorum veſtigia nullus dubito quin ſitis preſſuri, cùm veriſſimum ſit illud Philoſophi diuini pronuntiatum: Ἐικὸς ἀμείνους γίγνεσθαι φύσεις ἐκ γενναίων γένεσιν. Et hâc fiduciâ omnium votis firmatâ longùm vos valere, ac Reipublicæ bono creſcere, animitus voueo.

IN ICONES ET VITAS REGVM POLONIÆ,

à Nobilissimo Viro

D. SALOMONE NEVGEBAVERO
de Cadano evulgatas,

MELIORIS ADAMI SILESII
EPIGRAMMA.

EST volupe, scitas visu vsurpare figuras
Heroicorum corporum:
At mage delectat, mentis quoque cernere signa,
In literas aptè indita.
Vtrumque hoc, operum, mi NEVGBAVERE, venustè
Polonicorum conditor,
Hinc inde à LECHI, magnique ætate PIASTI,
Fauente præstans Pallade:
Inclyta virtutis das incentiva; decúsque
Seruas Poloni sanguinis.
Fallor? an æternæ te inscribis & ipse monetæ:
Heroas & quot eximis.

AD

AD EVNDEM
GEORGIVS PREVTTEN
DANTISCANVS.

REX avium vt rapido super ire cacumina nisu
Tentat niuosa nubium,
Solem non refugit, quin lumina vertit ad ipsum
Sua irretortis pupulis:
Sic tuus impigris mentis vigor igneus alis
Raptatur ad sublimia.
Lumine ferre potes Titania sidera Mundi
Acutioris ingeni.
Hinc tua mens grauibus studiis exercita Regum
Superba radit culmina.
Historiæ series testatur id illa Polonæ
Tuo polita pumice,
Illaque Magnatum speciosa toreumata nuper
Manu enotata Dædalâ.
Nunc & inaccessos audes animare colore
Vultus potentum viuido.
Ante oculos sistis cælatos ære Monarchas
Gentis Polonæ maximos
Lechos, Mieczlaos, Vladislaos, Casimiros,
Stephanos, Sigismundos, polo
Fulgentes animas, nunquam temeranda Iagelli,
Deducta stirpe numina.
NEVGBAVERE parat tibi nectere Clio corollam.
Fauore textam regio.
Et meritò. Digna hæc regali scripta cothurno
Non invidere posteris
Heroum gestas res seclis, Regibus ævum
Dare, ter quaterque regium est.

ALIVD

ALIVD

IVLII GVILIELMI ZINCGREFII.

MAGNA tibi multum, vir magne, Polonia debet,
Ob restitutos nuper Historiæ libros;
Jam Reges quoque devincti tibi iure leguntur,
Aëre in perenni quos facis revivere.
Non hoc laude caret, populorum gesta referre:
Lucem sed ipsis Regibus dare, regium est.

ICO-

ICONES ET HISTORIÆ PRINCIPVM AC Regum Poloniæ.

LECHVS I. POLONIÆ PRINCEPS.



LECHVS primus gentis Polonicæ conditor, frater Czechi Boëmiæ Principis, ex Croatia siue Dalmatia in regionem latissimam, quæ nunc Polonia, venies, eam iis, qui se secuti, incolendam distribuit, castello & oppi-

ANNO CHR. DL.

oppido, sexto à Varta fl. milliari Septentrionem versus, in planicie patenti ex rudi & non dolata materia excitato: cui à nido nomen indidit, (Gniasdo enim Poloni, Boëmi Gnisdo nidum vocant) siue quòd ibi nidum aquilarum inuenisset; vnde insigne Regum Poloniæ boni auspicii acceptum mansit, & manet adhuc successoribus eius aquila alba expansis alis: siue quòd ibidem arx illa sibi futura esset, quo nidus auibus. Principatu igitur sic cõstituto, Lechus partim Gnesnæ commorando, partim prouincias suas obeundo subiectis sibi leges æquas sanxit, non ex legum Romanarum præscripto, verùm ex æquo & bono, prout iudicabat ipse iustitiæ obseruans. Itaq; regimine vsus moderato pater potius, quàm dominus illorum habitus est, qui fidem suam imperiumque secuti. Et id prudentissimè. Nam populus libertati adsuetus asperum imperium nunquam tulisset. Reditus tunc & agros peculiares nullos habebat, sed ei cuncti seminabant ac metebant, deq; omnium rerum prouentu ac fructibus ipsi vectigal pendebant, numus enim tunc apud Polonos incognitus erat, sed permutatione rerum, quod cuique opus erat, sibi comparabat. Quàm diu verò Principatum gubernârit, quid præclari pace bellove gesserit, quosque liberos reliquerit, magnum historiæ deliquium & silentium est. Posteritatem eius ad centum quinquaginta annos regnâsse Vapouius memorat ad annum à Christo nato septingentesimum.

ANNO CHR. DCC.

CRA-

CRACVS.



POSTERITATE Lechi deficiente, Poloni comitiis Gnesnæ de Repub. stabilienda habitis duodecim ex Procerum numero secundùm totidem Palatinatus seu Prouincias deligunt, quos Palatinos seu Woievodas, hoc est, duces belli linguâ patriâ nominârunt, illisq; rerum summam committunt. Horum imperio aristocratico per annos aliquot Poloni vsi sunt. Pertæsi tandem horum regiminis, iterũ ad vnum aliquem Reipubl. præficiendum Gnesnam cõueniunt, ibiq; post varias consultationes ad Cracum virum opinione virtu-

tis clarum, & opibus clienteliſq; potentem vnanimes Principatum deferunt. Qui diu multumque reluctatus Reipubl. curam tandem ſuſcepit, rebuſque foris pacatis, domi licentiam impotentem coërcuit, iudices priuatarum controuerſiarum conſtituit, vrbem in læua Viſtulæ ripa condidit, ac de nomine ſuo Cracoviam nuncupauit, addita ei arce in colle Vauelo, Viſtula eam ab oppido dirimente, quam regni caput Gneſna relicta conſtituit. Craci famâ permoti Boëmi, Polonorum conſanguinei, ipſi quoque eum Principem adſciuerunt, vti Dlugoſſo & Vapouio rerum Polonicarum ſcriptoribus placet: quamvis Æneas Syluius & Wenceslaus Hagecus Boëmus non hunc, ſed alium Cracum ſiue Crocum tunc apud Boëmos regnâſſe, & Crocouiam ſiue Crocoueciam arcem in Boëmia exſtruxiſſe, mortuumq; eo ferè tempore, quo Polonorum Cracus rerum potiri cœpit, tres filias reliquiſſe perhibeant, ex quibus vna Libuſſa ſaga vatesve paternum regnum ſuſceperit, aſſumpto inthori & Principatus ſocietatem Premiſlo ruſtico homine, quem miſſi equites in ferrea tabula, hoc eſt, in vomere prandentem offendiſſent. Tandem ætate confectus, cùm præclarè Reipub. præfuiſſet, inter homines eſſe deſiit, atque è regione Cracouiæ vltra Viſtulam in monte Laſſotino, quemadmodum mandârat, humatus eſt.

LE-

LECHVS II.



CRACO Lechus natu minor filius ſurrogatus eſt, quòd regnandi libidine inflammatus Cracum natu grandiorem fratrem, quem ſibi ad Principatum obtinendum obſtaculo eſſe non ignorabat, in ſiluas eductum venationis ſpecie incautum interemit, ac ex equo caſu lapſum periiſſe mentitus, ſimulato luctu honorificè eum ſepeliit, dominatumque ſceleratè affectatum, qui natu maiori debebatur, ſublato illo occupauit. Imitatus nimirum eſt hoc in facto M. Antonium Caracallam, qui flagrans regnandi cupiditate fratrem Ge-

tam imperij ſocium, cùm veneno non poſſet, clàm ferro ſuſtulit. Verùm non multò pòſt vindex iuſtiſſimus tantum ſcelus inultum non ſiuit; detecto enim parricidio, Principatu exſutus, ac in exilium pulſus eſt. Nonnulli eum conſcientiâ patrati ſceleris, cùm Diis hominibuſq; exoſus eſſet, paulatim contabuiſſe, nullis poſt ſe liberis relictis, tradunt. Vincentius Cadlubcus primus rerum Polonicarum ſcriptor, patre adhuc ſuperſtite, parricidium ab eo admiſſum, ſed exſtincto demum patre, ipſoque iam rerum potiente, illud patefactum narrat.

VEN-

VENDA.



FRatribus ſic extinctis, VANDÆ ſorori ipſorum à Proceribus Principatus mandatus eſt, eâ ſpe, quòd præſtantem aliquem externorum Principum conjugio eius illectum Principem ſe habituros exiſtimarent. Nec ſanè fefelliſſet eos opinio, niſi per Vendam ipſam ſtetiſſet. Nam Ritigerus finitimus Teutonum Princeps miſſis legatis coniugium eius petiuit, quod illa denegauit. Inſtructo itaque exercitu Ritigerus repulſam vlciſci ſtatuit. Cui illa maſculè obuiam iuit. Verùm antequã ad prælium ventum, Duces Ritigeri pugnam diſſua-

ANNO CHR. DCCL.

dissuaserunt,ne propter intempestiuum amorem se suosque in discrimen coniiciat,cumq; fœmina manus conserat. Ille itaque amoris impatientiâ victus, mortem sibi consciuit. Hoc successu elata Vanda, Cracouiam ouans ingressa, mactatisque victimis plurimis, seipsam Diis patriis solenni ritu deuouit,ac de ponte in Vistulam,ne quis casus aduersus eius felicitatem obscuraret,se præcipitauit. Eius cadauer Proceres inuentum vno ab vrbe lapide in edito loco condiderunt supra amnem Dlubnia; aggesto itidem, vt Patri,tumulo. Vnde pagus subiacens Mogilæ, hoc est,tumuli nomen nactus adhuc retinet.

PRE-

PREMISLVS siue LESCVS I.



VENDA fato defunctâ, Respublica iterum à duodecim Palatinis administrata est, donec ex huiusmodi strategemate ad vnum rursum Principatus delatus est. Cùm enim Poloni à Pannonibus ac Morauis aliquoties profligati animum super defensione finium suorum desponderent,homo quidam plebejus & aurifex (quem animo excelso & industriâ singulari fuisse nomen ipsum arguit) coactâ aliquantâ militum manu astu hostem fudit. Galeas enim bene defricatas partim felle,partim lithargyrio illeuit, easq; noctu é conspectu

ANNO CHR. DCCLX.

ſpectu hoſtium in locis ſyluoſis ita appendit, vt cotuſcatione ſplendoris atque micatione hoſtium oculi perſtringerentur, & armati exercitus ſpeciem eminus inſpectantibus exhiberent. Quod conſpicati hoſtes, contemtu ſępe à ſe fugatorum Polonorum pauci tumultuariè correptis armis quaſi ad certam prædam procurrerunt. Interea Poloni galeis ſubmotis, ſiue combuſtis, fugam ſimulârunt. Ibi Pannones longiùs in ſyluas Polonos fugientes perſecuti, in præparatas à Premislo inſidias præcipitati & conciſi ſunt. Poloni verò cæſorum armis induti, ad hoſtium caſtra contenderunt, & pro ſociis habiti, in imparatos irruerunt, magnamque ſtragem fecerunt. Ob hoc igitur tam præclarum facinus Premislus omnium acclamatione Princeps ſalutatus, nomenque Leſci apud Polonos gratioſum ob Lechi conditoris memoriam oblatum accipit anno à Chriſto nato ſeptingenteſimo ſexageſimo. Rempublicam tranquillè adminiſtrauit, ac moderatum in ſuos imperium geſſit. Quamdiu autem regnârit, & quâ morte abſumtus ſit, non conſtat. Nullos quidem poſt ſe liberos reliquiſſe fertur.

LE-

LESCVS II.



PREMISLO mortuo ad præcludendas contentionum occaſiones de Principatu inuentus fuit nouus electionis modus. Indicitur certam ad diem maculoſorum equorum curſus, vt, qui primus ad metam peruenisſet, is Princeps declararetur. Quemadmodum & olim apud Perſas factum. Nam cùm Cyri Regis ſtirps omnis defeciſſet, inter Satrapas pactum fuit, vt cuius equus primus hinniiſſet, Rex crearetur. Id vbi Darius accepit, equitũ magiſtro futuræ electionis modum ſubindicauit, eumq; vt ſe juuaret, monuit. Qui eodem

in loco, isti rei destinato, nocte equum equæ admisit. Ita albescente die Darii equus, cùm Candidati in campum processissent, equam desiderans primus hinnijt. Atque ita Dario ex lege præfixa regnum obuenit. Statuitur itaque, vt ad propositum oratio transeat, columna in planicie ad Prandnicum amnem Septentrionalem ad plagam Cracouiæ, ac dies stata certamini præfigitur. Dato certaminis signo Lescus quispiam competitorum vnus stadium ferreis stylis acutis seu muricibus, quibus currentium equorum pedes læderentur, clam in sabulo abdit, certo tamen spatio notato, quo ipse ad metam equo illæso perueniret. Equi etiam sui calces ferreis soleis, quod tum insolens erat, munit, vt, si fortè currens in stylos impingeret, ne offenderet in stylis. Die præfixâ cùm multi ad metam contenderent, omnes in stadio impingunt, præter Lescum doli autorem, cujus equus prior metam attigit, quiq; ilicò Princeps proclamatus est. Postea cùm in eo stadio juuenes duo obscuri pedestri cursu fortè certarent, joco principatum inter se pacti, pari modo in aculeos impegere. Inuestigant rem curiosius, notantq; tramitem stylis vacuum, quorum alter alterum præcurrendo vicit. Cùm præmium peteret, conqueritur alter de dolo, atque ita inter se disceptant. Res ad magistratum delata, & fraus prioris victoriæ, quâ is ad Principatum peruenerat, deprehensa est. Protrahitur in medium Lescus, conuincitur, damnatur, ac tandem ab equis discerpitur.

LE-

LESCVS III.



LESCO illo è medio sublato, populus juvenem illum, qui dolum prædecessoris deprehendit, Principem salutat, &, ne quid ad autoritatem ipsi desit, LESCVM etiam appellat. Is insperato rei euentu Princeps factus omnem dedit operam, ne opinionem de se conceptam falleret. Quantum ipsi otii à seriis Reipublicæ negotiis fuit, in exercenda virtute ac disciplina militari illud ferè consumsit: varios ludos ac certamina instituit, certantibus præmia proposuit, ipse præsedit, ac pro meritis quenque laudauit. In hospites

munificus, in suos, ac præsertim egenos, liberalis: adeuntibus facilis, & vindex acer iniuriis pressorum: in cultu atque victu corporis non nimius, nisi si quando in publico dare aliquid splendori atque maiestati cogebatur, maximè propter externos: quin ibi quoque crassos illos pannos, quibus ante Principatum vsus esset, ob oculos sibi poni iubebat, testes prioris conditionis suæ: ab ebrietate verò ita abhorrebat, vt bruto similiorem, quàm homini ebrium iudicaret. Quid multis? in nemine minus, quàm in hoc locum habuit illud Poëtæ:

Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum.

Quamdiu rerum potitus, ac quomodo vitâ functus sit, non certò constat; præterquam quòd filium cognominem successorem reliquit. Quidam eum in expeditione Caroli Magni Imp. contra Polonos occubuisse tradunt circa annum Christi octingentesimum quintum.

LESCVS IV.



LESCO Tertio surrogatur LESCVS eiusdem nominis filius, à paternis virtutibus non degener. Multa is cum finitimis, qui obscuritatem eius familiæ contemserant, bella gessit. Carolum Magnum Imperatorẽ, siue potiùs ipsius filium nothum cognominẽ aggredi ausus, quòd is vicinis Slavis bellum intulisset, in quo periisse fertur. Filios complures, ac ex legitima quidem vxore Popielum suscepit, penes quem rerum summam esse voluit: è connubiis verò diuersis viginti circiter, vtpote; Boleslaum, Barnimum, Bogdalum, Casimirum, Vladislaum, Vratislaum, Otam,

Pri-

Pribislaum, Cieſſimirum, Iaxam, Semianum, Premislum, Siemovitum, Ziemomyslum, Sbigneum, Spiciminim, Spicignevum, Sobeslaum, Viſſimirum, & Vislaum. Quibus non antè ditiones attribuit, quàm ſacramento adacti promiſiſſent omnia, quæ Pater de Popielo, & vniuerſa herciſcunda familia ſtatuiſſet, grata & rata ſe habituros, nec nouis diſſidiis Principatum turbaturos, aut interpellaturos. Quod vbi illi præſtiterunt, ad hunc modum inter eos partitus eſt prouincias: Boleslao, Barnimo, ac Bogdalo ceſſit Pomerania: Caſimiro ac Vladislao Caſſubia: Iaxæ ac Ziemiano Serbia ſiue Sorabia: Vratislao Rugia: Pribislao, Cieſſimiro, & Ottæ Ditivonia, quæ nunc Luſatia: Premislo, Siemovito, & Ziemomislao Marchia Brandeburgenſis, quæ Polonis Sgorolecia olim vocata: reliquis reliqua eius oræ ad Saxoniam & oſtia Albis fluuij vergentia.

PO-

POPIELVS SENIOR.



LESCO filius POPIELVS ſuccedit fratrum ac procerum adſenſu, auo patriſque diſpar, vir timidi ac deſidis animi. Qui regiam Cracouiâ Gneſnam tranſtulit, indeque haud multò pòſt Cruſviciam ad Goplum lacum in Cujavia inter paludes ac campos, fortè quòd ab Vngaris & Ruſſis gente ferâ longius abeſſet, à fratribus verò, à quibus ſibi inprimis metuebat, ſecuriùs viueret. Nil præclari pro patria geſſit, ventri duntaxat, & iis, quæ ſub eo, indulgens. Aliquot

ANNO CHR. DCCCXV.

WBP Opole

annos iuuenili ætate cùm regnâſſet, in morbum incidit, &, antequam fratres eum viſitaturi aduenirent, animam efflauit. Vſque adeò nihil eſt in hac vita caduca ſtabile ac firmum, ſecundùm Poëtæ illud:

Quicquid habet ortus, finem timet.

In familiari ſermone fertur murium depaſtioni ſe ſuoſq; deuouere ſolitus, quod, quanquam non ipſi, filio tamen eius Popielo ac nepotibus accidit.



PO-

POPIELVS IVNIOR.



EXEQVIIS finitis, filius eius cognominis patruorum procerumq; ſuffragio impubes adhuc Princeps eligitur atque inauguratur. Pubertatis annos cùm attigiſſet, florem juventutis nequitiâ ſceleribuſq; polluit, patruorum monita neglexit, cum ſui ſimilibus conſilia cepit, cõpotationes cum iis frequentauit: in luſtris, choreis, luſibus, & amplexibus puellarum pernoctauit, in multam diem ſtertuit, Rempublicam & iudicia neglexit; inde omnibus iam deſpicatui fuit, ita vt vulgò Choſtek per contemtum nominaretur. Patrui

ANNO CHR. DCCCXX.

cum Proceribus cupientes dissolutam vitam ipsius refrenare, vxorem ei cõciliant Teutonici Principis cuiusdam filiam, quâ ductâ, totus libidinibus immersus, auaritiâ etiam augescente decreta, honores, atq; magistratus vendebat, omniaq; hæc vxore impellente faciebat. Quæ degustatâ semel dominatus ac lucri cupiditate, despecta viri inertia, imperium ad se transtulit, ac marito patruos eius criminibus confictis suspectos ac inuisos reddidit, persuasitque, illis superstitibus Principatum ipsi filiisque suis, quos iam pepererat, firmum esse non posse. Hunc scrupulum vt sibi eximeret, autor est marito, vt morbum lethalem simulet, patruosque ad se acciri jubeat, ipsisq; venenum à se mixtum propinet. Adsunt illi, ac mœsti circumstant ægrotum, eumque consolantur. Quibus ille vxorem & filios diligenter commendat. Tandem valedictutis in signum amoris sui erga ipsos medicatum poculum circumferri iubet. Ex quo cùm bibissent, non multò post de statu mentis deturbati, & furentes magno cum cruciatu exanimati sunt. Ibi mulier de interitu eorum certior facta, cadauera eorum insepulta in lacum Goplum proiici mandat, insidiatos eos Principi, justa DEI vindicta percussos, repente periisse divulgat. At Numen, cùm scelera non sinat inulta, ex illorum cadaueribus enatos mures inusitatæ magnitudinis in ipsum, vxorem, filiosq; immisit, qui per aquas flammasque inter medios satellites eos persecuti, ac tandem diffugientibus omnibus, primùm filios, deinde vxorem aggressi, postremò tandem ipsum Popielum miserum in modum depasti sunt.

ANNO CHR. DCCCXL

ANTONI ZYGMUNT HELCEL

PIA-

PIASTVS.



POPIELO cum vxore & liberis portentosè exstinctis, post comitia Procerum bis frustrà habita, PIASTVS oppidanus Crusvicensis Cossisconis filius Poloniæ Princeps creatus est; vir staturæ mediocris, robustus, mediam ætatem supergressus, agello modico excolendo, ac mellificio vitam sustentans, homo simplex, beneficus & hospitalis pro modo facultatum suarum. Is ex vxore sua Repicha filium vnicum susceperat, eiq; viuente adhuc Popielo comam primam gentili ritu tonsurus, nomenq; impositurus, amicos eam ad cere-

ANNO CHR. DCCCXL

moniam, porco mactato & vase aquæ mulsæ infuso, inuitauerat. Priusquam stata dies adesset, obtulerunt sese ei fortuitò ignoti duo, habitu peregrini, Angeli à nonnullis habiti; quos ille, cùm regiâ excluderentur, comiter invitatos domum suam introduxit, ac liberaliter habuit. Ibi res mira accidit. Accrevit caro porcina, & redundavit ex vase mulsa, ita vt nõ cives modò, sed etiam Principem ipsum cum omni comitatu illo convivio acceperit. Eisdem igitur hospitibus sub Comitiorum tempus revertentibus ac mandantibus, Piastus ex tenui penu cellaq; sua conventum illum vniuersum penuriâ laborantem omnium necessariorũ augescente copiâ reficit. Quo miraculo vulgato, omnes Piastum vna voce diuinitus sibi Principem dari conclamant. Recusat ille; tandem ab hospitibus illis suis persuasus, ita vt erat veste ac peronibus ex tiliæ cortice textis indutus, in regiam à primoribus deducitur, ac Princeps renuntiatur. Hic Crusviciam abominatus diro interitu Popieli defœdatam, Gnesnam domicilium suum transtulit. Sub eius Principatu incursiones hostium conquieverunt, dissidia intestina, cædes, ac latrocinia reverentiâ magis boni Principis, quàm armis & severitate cessarunt. Erat bonis charus, malis reverendus, ac finitimis venerabilis, longam etiam Principum Regumque Poloniæ posteritatem per multa secula vsque ad Casimirum cognomento Magnum propagauit. Tandem cùm per multos annos sapienter clementerq; regnasset, senex admodum anno ætatis centesimo vicesimo naturæ satisfecit anno à Christo nato octingentesimo sexagesimo primo.

ANNO CHR. 861.

SIE-

SIEMOVITVS.



PIASTO succesſit SIEMOVITVS filius vnicus, qui antea patri grandævo velut imperii ſocius adfuit, vir impigri & martij animi. Hic faſces adeptus, diſciplina militari inſtitutâ, militiæque magiſtro creato, ad recipienda ea, quæ Vngari, Moravi, ac Germani ſub Popielo atque interregno detraxerant, totum ſe conuertit, eaq; omnia, dum hæ gentes bellis implicitæ eſſent, recuperauit. A Prutenis quoque, quæ illi ſuperiori tempore Polonis interceperant, bello repetiuit.

ANNO CHR. 861.

Cum

Cum Pomeranorum & Cassubiorum Ducibus, Popieli senioris nepotibus ac posteris, qui à patre suo defecerant, bellum gessit, quod tamen ad finem non perduxit, morbo videlicet attritus. Obiit anno regiminis sui tricesimoprimo, anno verò Christi octingentesimo nonagesimo secundo. Circa quod etiam tempus Constantinus Monomachus Orientis Imperator Roxolanos Slavos nauali prælio vicisse, ac reliquiis eorum Bosnæ regionem incolendam dedisse fertur. Eadem etiam tempestate Vandali & Sorabi Occidentem versùs ad Germanos magna ex parte transitionem fecerunt.

ANNO CHR. 892.

IE-

LESCVS V.



REBVS humanis exemto SIEMOVITO filius eius vnicus LESCVS à Proceribus surrogatur adolescentulus, eique custodes ac moderatores consiliorum proceres aliquot adiuncti. Hic cùm adoleviſſet, pacis & otii potius, quàm bellicæ gloriæ studiosior fuit, contentus eo, quem à patre acceperat, dominatu. Commemoratur tamen à nonnullis scriptoribus prælium ad Lechninum, in quo gentis Slavicæ ad duo millia periisse dicuntur. Commemoratur etiam

ANNO CHR. 892.

iam aliàs LESCI bellum ſociale contra Pomeranos Principatu juſtè ac clementer magnâ cum ciuium beneuolentiâ perfunctus, tandem & ipſe vitâ defunctus eſt ætate immatura anno à Chriſto nato nongenteſimo decimotertio, relicto filio Ziemomyslo. Magni tunc motus in tota Europa exorti ſunt. Nam translatio Imperii Romani à Gallis ad Germanos non paruos tumultus atque bella ſecum traxit. Circa idem etiam tempus Slavi vicini Albis ripæ ad Germanos defecerunt. A Germanis verò præfecturæ limitaneæ ſeu Marchiæ, vt vulgò vocant, inſtitutæ ſunt.

ZIE-

ZIEMOMISLVS.



LESCO patri ſucceſſit ZIEMOMISLVS, & ipſe patris exemplum ſecutus bello pacem prætulit. Sed non aliâre nobilior, quàm filio vnico, qui ei in ſenecta natus, & quidem cœcus. Quod breuem ipſi lætitiam, ſed longam attulit triſtitiam, ſterilitate præſertim vxoris poſtea accedente. Cui puero cùm anno ætatis ſeptimo prima coma ritu gentili tondenda, nomenq; imponendum eſſet, abſque vlla Medicorum, aut cuiuſquam omnino ope aut ſpe ſubitò viſum ac-

ANNO CHR. 913.

cepit, quem mater visu donatum gaudio exiliens ilico ad patrem in conuiuium adduxit. Conuiuæ improuiso ac diuinitus oblato beneficio exhilarati, Principi, Reipublicæ, ac sibi impensè gratulari, solennesque dies genio liberius indulgendo agitare cum apprecationibus votisque. Princeps ariolos de portento & euentu tam mirabili percontatus, responsi hoc accepit: Poloniam eius Principatu illustratum iri. Puer itaque accuratè patris iussu educatus, eidem

ANNO CHR. 964.

circa Christi annum nongentesimum sexagesimum quartum Gnesnæ mortuo ibidemq; sepulto suffectus est.

MIEC-

MIECZISLAVS I.



ZIEMOMISLO patri MIECZISLAVS in Principatu suffectus est, quem juste quidem administrauit, sed tamen infra spem omnium ariolorumque vaticinia, ex quibus præclarum quiddam de ipso sibi Poloni pollicebantur. Vxores septem more barbarico duxit, ex quibus nullos suscepit liberos: quas tamen postea, cùm de religionis Christianæ veritate aliquid audiisset, dimisit, Dambroucamque Christianam Boleslai primi Bohemiæ Ducis filiam noue

ANNO CHR. 964.

 matri-

matrimonio sibi junxit. Quâ splendido comitatu Gnesnam aduectâ, Mieczislaus baptismo, vt convenerat, ritu Christianorum initiatur, & pòst nuptias magna celebritate peragit anno Christi nongentesimo sexagesimo quinto. Mox totum se ad propagandam religionem Christianam per Poloniam conuertit: basilicas nouem ædificat, ornat, ac locupletat, & in diœceses distributas, duas quidem ex his Archiepiscopis, nempe Gnesnensem & Cracoviensem: reliquas verò, Posnanienſem, Smogorovienſem, (quæ nunc Vratislavienſis,) Crusvicenſem (quæ nunc Vladislavienſis,) Plocenſem, Culmenſem, Lubussenſem, & Camenecenſem singulis Episcopis attribuit; eisq; decimas omnis generis frugum edicto perpetuo adscribit. Inde minorum gentium Sacerdotibus ac ministris Ecclesiasticis in sua cuiusque diœcesi certæ portiones arbitrio Episcoporũ jure sempiterno attributæ. Templa etiam in oppidis & pagis non pauca exstructa. Deorum simulacra vbique in oppidis atque pagis confringi comburique, & vanos priscæ superstitionis ritus aboleri mandauit, constitutâ ad eam rem publicè peragendam septimâ Martii. Dum in his totus est, nascitur ei filius, cui in sacro fonte aui materni Boleslai nomen imponitur. Bellum cum Vlodimiro Russorum Duce euentu non satis prospero gessit. Cæterum, quò augustiorem Principatum posteris suis relinqueret Mieczislaus, à Benedicto VIII. Pontifice Romano per Episcopum Cracouiensem legatum suum diadema regium sibi mitti, Regem se ac posteros suos constitui petiit. Verùm ea res certas ob causas in aliud tempus dilata. Decessit anno Christi nongentesimo nonagesimo nono, postquam triginta quinque ferè annis feliciter Reipublicæ præfuisset, Posnaniæ sepultus.

ANNO CHR. 999.

BOLES.

BOLESLAVS CHROBRY PRIMUS Rex Poloniæ.



MIECZISLAO surrogatus est Boleslaus, cognomento Chrobry, summa omnium voluntate. Hic Polonorum nomen regia dignitate externorum Principum necessitudinibus & clarissimis rebus gestis illustrauit: militarem disciplinam auxit, regni fines longè lateque propagauit; religionem stabiliuit atque ampliauit; denique agrestem gentem ad ciuiliorẽ aliquantò vitæ cultum redegit. Hunc Otto Ruffus III. eius nominis Imperator, reliquias noui martyris Adal-

ANNO CHR. 1000.

Adalberti à Prutenis occisi visitans, Regem solenniter creat, sociumq; & amicum Romani Imperij, à tributo & omni iurisdictione Imperatorũ cum posteris immunem declarat. Et quò arctior inter ipsos & posteros ipsorum esset necessitudo, Richsam Erenfridi Comitis Palatini ad Rhenum filiam, sororis suæ Mechtildis neptem, Mieczislao Regis filio despondet. Bella cum externis gessit varia. Duci Boëmiæ Boleslao propter crebras eius incursiones bellum intulit. Morauos tributarios regno fecit: Iaroslaum Russiæ Ducem fudit: Kijoviam insignem ea tempestate vrbem per deditionem accepit, & omnes Principes Russiæ obnoxios sibi reddidit, à quibus CHROBRY, hoc est, acris, appellationem propter excellentem virtutem atque animi magnitudinem tributam adeptus. Templa complura dotauit, ornauitq;. Monasterium Secechouiense in Sendomiriensi tractu, & aliud in monte caluo exstruxit. Postea Saxonibus bellum fecit, vt ea, quæ Poloniæ maiorum suorum negligentiâ adempta erant, recuperaret. In Prutenos expeditionem etiam suscepit, D. Adalberti necem vlturus, & illam gentem suo adiecturus imperio. Qui pacem à Rege petentes tributum pendunt, ac pensuros se deinceps promittunt. Victor inde recedens, in Ossa fl. ferream columnam ponit mille passibus à Rogosno: vnde vicina villa Slupi, hoc est, columnæ nomen nacta. Cum Iaroslao Duce Russiæ, qui bellum aduersus Boleslaum magno apparatu renouabat, acre prælium commisit, eosque magna strage affecit. Reliquum vitæ tempus instituendæ Reipublicæ dabat, judicia exercebat, tenuiores, dum litis finem exspectant, suo sumptu sustentabat, egenis subueniebat, ac pauperibus causam suam agere nescientibus causidicum de suo datâ mercede attribuebat. In summa, omnia ad religionis decus, Reipublicæ salutem, atque ad præmium benè merentium de Republica conferebat. Tandem

dem annis pariter ac laboribus confectus Mieczislaum filium successorem sibi omnium consensu designauit, eique, vt pietatem erga Deum, iustitiam, benignitatemq; in omnibus colat, morituru præcepit. Excessit è vita summo omnium dolore atque mœrore, Posnaniæ moderatâ pompâ, vt viuus jusserat, tumulatus, cùm annos viginti quinque regnâsset, & quinquaginta octo vixisset, anno Christi MXXV. Anno Cujus morte Polonia optimè de se merito Principe orbata Chr. annum solidum in luctu tanto fuit, vt neque conuiuia vlla 1025. celebrarentur, neque choreæ vsquam agerentur, neque vestibus cultioribus quisquam nobilium virorum aut fœminarum vterentur. Fuit staturâ mediocrem non excedente, oris & corporis totius habitu eleganti, & ad modestiam composito: capillo denso, crispo, nigroque: victu cultuque corporis non neglecto, neque nimis tamen exquisito.

E[illegible] MIEC[illegible]

WBP OPOLE

MIECZISLAVS II.



CVRATO patris funere, MIECZISLAVS filius ANNO vnicus ex Iuditha Vngara, annum agens triceſimum CHR. quintum, deſtinatum iam ſibi regnum adiit, atque vnà cum 1025. vxore ſua ab Archiepiſcopo Gneſnenſi coronatur. Mox expeditionem in Ruſſos, qui morte Boleslai acceptâ Iaroslao & Mscislao Ducibus rebellârunt, fecit, ac feliciter confecit. Bellum dein contra Boëmos mouit, eò quòd tributum Boleslao quotannis penſum Mieczislao negârant: regia præſidia vndique deturbârant, atque interfecerant, Morauiamq;,

quæ tunc in ditione Polonorum erat, inuaſerant, ac poteſtatis ſuæ fecerant: Contra quos Mieczislaus populi conuitiis impulſus exercitium duxit, ſed ne oppidum quidem vllum recuperauit, agris tantùm & ſuburbanis vaſtatis, magnaque hominum ac pecudum prædâ abactâ. Secundiore pòſt ſucceſſu Pomeranis bellum intulit, qui etiam ad defectionem ſpectabant, habens ſecum in exercitu Andream, Belam, & Leventam Vngariæ Regis Stephani patrueles: in quo Pomerani fuſi profligative, & Dux in prælio occiſus. Cætera, quæ regni fuerunt, neglexit, nec vnquam ad ea recuperanda, quæ amiſerat, animum adjecit: verùm torpori atque deſidiæ ſe dedit, iis voluptatibus indulgens, quæ tactu guſtuq; percipiuntur. Aliarum etiam præter vxorem ſuam mulierum conſuetudine vſus eſſe dicitur: vxori tamen adeò fuit obnoxius, vt eius maximè arbitrio regnum adminiſtrâret. Quæ quidem deinceps, cùm Rex amentiâ correptus ſui compos non eſſet, dominatum omnem ad ſe tranſtulit, quò maius etiam hominum in ſe ac maritum odium concitauit. Tandem non multò pòſt ex morbo illo moritur, Poſnaniæq; ſepulturæ traditur, homo hebes ac tardus, juvenum atque vxoris conſilia plerumque ſectatus. Regimen adminiſtrauit annis ferè nouem, vixit quadraginta quatuor, relicto vnico filio Caſimiro, ſub cuius ortum terræ motus acciderat.

CASI-

CASIMIRVS I.



MIECZISLAO mortuo CASIMIRVS filius ob ætatem nondum regno idoneus erat, itaque penes Richſam matrem eius regia poteſtas, donec filius adoleuiſſet, relicta: qua illa abuſa exactionibus grauiſſimis ſubditos premebat, nouas pecuniæ rationes exquirebat: Polonis contemtis Germanos ſuos in conſilium adhibebat, eoſque ad honores atque magiſtratus euehebat. Indignè ferre hoc Poloni, orare Reginam, hoc vt mutaret, aſperioris enim domi- ANNO CHR. 1041.

 natus

natus se insuetos esse. Verùm vbi vident, orando se nihil proficere, fremere, ac contemnere vicissim Reginæ iussa, & regias possessiones ac reditus nonnulli inuadere. Verita ergo Regina, ne in tanta licentia maius aliquod in se malum redundaret, consilium fugæ clam init, compilato fisco regio, in quo præter alia duo diademata Regis & Reginæ erant. Poloniâ excedens in Saxoniam se contulit, ab Imperatore Conrado, oblatis ei muneribus, Salfeldum seu Magdeburgum & Brunsvicum vel emit, vel dono accepit. Casimirus quoque in Vngariam ad Stephanum Regem propinquum fugit, exin post eius mortem ad matrem se recepit, à qua Lutetiam studiorum gratiâ missus est. Inde Italiâ visâ Cluniaci in Benedictinorum Monachorum sodalitatem se dedit, monasticam vitam professus. Interea in Polonia miscentur omnia cædibus mutuis: latrociniis viæ publicæ infestantur: vbique miserabilis rerum facies; nihil vspiam tutum; nihil cuiquam proprium, nemo mali exors erat. Masouij, Russi, Boëmi, & Pomerani in Poloniam irruerunt, omnia ferro flammaq; defœdantes. His tempestatibus totum ferè sexennium iactati fatigatique Poloni, ad saniora consilia tandem animum adiiciunt, comitiisque Gnesnæ indictis post varias consultationes Casimirum quærendum, placandum, ac reducendum esse censuerunt. Legati igitur ad matrem mittuntur, à qua ignominiosè reiecti. Inde Cluniacum rectà profecti, inueniunt Casimirum mutato nomine Carolum, non modò religionem professum, sed iam Diaconum factum; deprecantur culpam exilii eius; orant, respiciat afflictam patriam & auitum regnum, & ab interitu extremo vindicet. Respondet ille lacrymans, casum patriæ se miserari; sed alieni iam se iuris esse: datam semel Deo, & iis, quorum potestati se subiecisset, fidem frangere non posse. Legati Abbatem adeunt, eadem illà orant. Sed ab eo ad Pontificem Roma-

Romanum Benedictum IX. rejiciuntur: à quo tandem magnis precibus dispensationem impetrant, vt Casimirus professionis religione solutus ad regnum paternum redeat, vxoremq; ducat, pœnitentiâ hac iniunctâ, primùm vt de singulis capitibus, exceptis Nobilibus, & qui sacris addicti, quotannis obulus vnus in lucernam perpetuò in æde Diui Petri Romæ arsuram pendatur, qui etiamnum S. Petri nummus dicitur: deinde vt omnes Poloni rotunda, more Monachorum, tonsura capillorum vtantur, nec vltra aures quisquam omnino comam promittat, & vt festis solennibus, dum sacra peraguntur, equites fasciam lineam albam in modum stolæ è collo suspensam ferant. Voti compotes facti Legati, Casimirum in Poloniam secum reduxerunt, vbi effusa omnis generis multitudo ingens Regem suum ouans excipit, ac reducigratulatur. Restitutus igitur Casimirus in regnum paternum summo omnium applausu Gnesnæ de more coronatus est. Mox ad Reipubl. vulnera sananda animum adiecit: pacem publicam inter ciues grauibus edictis sancit, ac præteritarum iniuriarum obliuionem edicit: fœdus & affinitatem cum Iaroslao Russiæ Principe contrahit, sorore eius Maria, quæ pòst Dobrogneva nuncupata, vxore ducta. Maslaum Masouiorum tyrannum bis vicit fuditque, ac desperatis rebus ad laqueum adegit, totâque Masoviâ potitus est. Prutenos missis legatis ac paeem petentibus in gratiam recepit. Pacato regno, memor pristinę conditionis, Cluniacum, vbi Monachus fuerat, legationem amplis cum muneribus mittit, Monachos aliquot ad se mitti postulans, quibus Tinecense monasterium vno Cracouiâ milliari compluribus pagis ac prouentibus dotauit. Suscepit autem ex vxore sua filios, Boleslaum, Vladislaum, Miesconem, Ottonem, & filiam Svantochnam; qui duo posteriores in pueritia decesserunt. Obiit optimus Princeps, cùm octodecim annis

fasces gessisset, XIV. Kal. Decemb. & magno omnium mœrore Posnaniæ terræ mandatur anno Christi millesimo quinquagesimo octauo, cuius mortem Cometes portenderat. Fuit procerioris staturæ, formæ liberalis, neruosus, barbâ promissâ, capillo nigro, literis sic satis imbutus; in pupillos & viduas clemens, in Ecclesiasticos propensus: erga omnes comis, lenis, ac benignus.

ANNO CHR. 1058.

BOLESLAVS II. COGNOMENTO AVDAX.

ANNO CHR. 1059.

CONVENTV Gnesnæ habito Boleslaus Casimiri filius natu maximus summo omnium Ordinum applausu anno ætatis suæ decimo sexto regno inauguratus est, & initio quidem speciem boni Principis præbuit: sed adultior factus, rebus secundis inflatus, impotentiùs dominari cœpit. Vratislao Boëmorum Principi, qui infesto exercitu in Poloniam ingressus est, ac Silesiam igni ferroq; vastauit, bellum intulit, eumq; superavit. Verùm pax inter illos pòst affinitate sancitur. Prutenos Pomeraniam finitimam infestantes sibique rebellantes repressit, adq; officium reuocauit. Belam Andreæ Vngariæ Regis fratrem fusis Vngaris cæsoque ipso Rege in regnum restituit. Procerum deinde suasu vxorem duxit Visseslavam Russiæ Principis cuiusdam filiam vnicam, ad quam hæreditas paterna spectabat. Inde ad bellum Russicum in gratiam Izaslai à Kijovienſibus suis pulsi se parat: potituſq; Kijovia ac Polocia, aliquandiu Kijoviæ cõmoratus est, loci amœnitate ac deliciis, mulierumq; venustate captus. Exin in Premislienſem tractũ exercitũ ducit, ac minoribus quidem oppidis primo aduentu potitus est: verùm Premysliam ipsam magno impetu oppugnatã tandem expugnat, ac militibus in prædã dat: arcem verò, quia difficilis eius videbatur expugnatio, coronâ obsedit, atq; post longam obsidionem brumâ ingruente deditione capit. Belæ Vngariæ Regis filios à Salomone patruele suo regno iterum eiectos cum exercitu in Vngariam reduxit, ac Salomonẽ ad pacem petendam cõpulit. Interea Izaslaus iterum à fratribus Principatu Kijovienſi eiectus est, cuius gratiâ Boleslaus denuò in Russiã mouet: Volyniam vnà cum Lusco in potestatem suam redegit; Igorum Ducem fratrem Izaslai in gratiam recepit, Vucevolodum valido cum exercitu profligauit: Dehinc Ki-



joviam contendit, quam primo impetu frustrà oppugnatam fame tandem domuit, atque ad deditionem compulit. Post tot tantasq; victorias devictæ vrbis lasciuiâ, libidinibusque ac flagitiis victus est. Quam ob causam Stanislaus Sczepanouius Episcopus Cracouiensis eum humanius primùm, deinde acerbius admonet, obsecratque, vt illis moribus ac corruptelis finem statuat, eumque nulla emendatione subsecuta anathemate percellit. Rex verò ea re magis exacerbatus, Episcopum sacris vacantem occidi, ac minutim concidi iussit. Qua illius atrocitate commotus Pontifex Gregorius VII. toti Poloniæ sacris interdixit, Regem diris deuouit, regnoq; priuauit. Regnauit tamen Boleslaus posthac annum & amplius, sed inuisus omnibus, in cuius necem cùm conspirâssent Proceres ac Nobiles nonnulli, in Vngariam cum Mieczislao filio fugit, à Ladislao Rege comiter habitus. Verùm exagitante eum indies patrati sceleris conscientiâ, amentiâ correptus, mortem sibi ipsi conscíuit anno Christi millesimo octogesimo primo; sepultus Ossiæ in monasterio Carinthiæ, cùm imperium tenuisset annos ferè viginti duos.

ANNO CHR. 1081.

VLADISLAVS I. COGNOMENTO HERMANNVS.

ANNO CHR. 1082.

BOLESLAVM Regẽ secutus est VLADISLAVS frater, qui Principatum quidem suscepit, sed Regem se appellari passus non est, Principis tantùm ac hæredis Poloniæ titulo contentus; Vir prudens quidem, ac virtute præditus: verùm ad quietem & otium propensior quàm ad bellum. Initio statim Principatus sui Poloniam commotam nõnihil pacauit, latrociniisque purgauit. Ad Pontificem Romanum de tollendo interdicto, quo Polonia ob necem Episcopi Cracouien-



couiensis obnoxia erat, legatum misit. Vxorem deinde duxit Iuditham Vratislai Boëmorum Principis filiam, ex qua initio sterili Boleslaum Crivoustum precibus D. Ægidii, ad cuius monumentum Legatos cum muneribus miserat, suscitauit. Mieczislaum Boleslai fratris filium ex Vngaria reuocauit, fortunę eius misertus, quem filii loco habebat: qui tamen sexto, postquam rediit, anno, immaturã mortem obiit, nullâ prole relictâ. Vxore primâ mortuâ, duxit postmodum alteram, Sophiam Salomonis Regis Vngariæ viduã, Henrici IV. Imperatoris sororem, quæ tres ei filias peperit. Sub hoc Prin-

cipe Russi in libertatem rursus sese asseruêre: defecêre quoq; Pruteni ac Pomerani, quos Vladislaus, dilatis in aliud tempus Russis, bello persecutus, & Pomeranorum fines depopulatus est, tandemq; eos ad deditionem coëgit. Boëmos Predislao Duce, qui regium nomen & ius in Poloniam sibi vendicabat, fines Poloniæ devastantes fudit fugauitque, & è Morauia prædam ingentem abegit. Inde Secechum Palatinum Cracovienſem cum exercitu in Pomeranos misit, qui arcem Medireciam interceperant, ex eaq; latrocinia exercuerant, quam recepit ac refecit. Hanc Vladislai felicitatem tandem Secechi impotens dominatus cõtaminauit, à quo multi bonis exsuti, multi proscripti, ope Boëmorum Duce Sbigneo Principis filio notho ex monasterio extracto Poloniam nouis motibus concusserunt: qui tamen à Principe iuxta Goplum lacum victi sunt, capto ac tandem in gratiam accepto Sbigneo, cumq; filio legitimo Boleslao in hæreditate adeunda exæquato. In Pomeranos deinde, qui Santocum arcem Polonis ad reprimendos ipsorum motus opportunam intercipere conati sunt, mittit Vladislaus Sbigneum iusto cum exercitu, sed is re infectâ recessit. Quod indignè ferens Boleslaus, mox expeditis cum copiis profectus ad hostem peruenit. Pomerani superioris temporis successu feroces impetum in Polonos ex arce faciunt, quos fusos Boleslaus in arcem compellit. Ad vltimum Russos, qui Poloniæ fines infestârunt, magnâ strage profligauit. Tandem cùm annos viginti rerum potitus fuisset, vixissetq; propemodum quinquaginta nouem, morbo & angore confectus obiit pridie Iunij anno Christi 1102. solenniq; in Basilica Plocensi sepulturâ affectus est.

ANNO CHR. 1102.

BOLES-

BOLESLAUS III. CRIVOUSTUS.



POST mortem patris VLADISLAI succeſſit BOLESLAVS cognomine CRIVOUSTUS seu distortus, ab ore retorto sic dictus. Qui luctu exacto vxorem ANNO CHR. 1103. duxit Sbislauam Stopolci Michaëlis Kijovienſis Principis filiam. Quo tempore Boëmi Sbignei fratris precibus moti, Poloniam inuaserunt, cuius temeritatis pœnas subsequenti anno, vastatâ Moraviâ, dedêrunt. Tribus expeditionibus cùm Pomeraniam castigâsset, ipse venationibus recreare se cupiens, in Pomeranos, qui tunc fortè in Poloniam incursionem

nem fecerunt, incidit; cum quibus quamuis longè impar manus cõseruit, magnâq; in eis strage editâ, dum iterum atq; iterum perrumpit agmen hostile, vix cum triginta saluus euasit. Quos vt vltum iret, Scarbimirum exercitus Ducem in Pomeranos misit, qui ipsorum fines nemine obviam prodeunte vastauit, exercitumq; prædâ onustum reduxit. Ipse Boleslaus interim Sventopelci Bohemiæ Principis, cum Bohemis suis in Poloniam irruptionem facere volentis, impetum retardauit. Sequenti anno omnem belli molem in Pomeranos conuertit, Bialogrodũ siue Belgradum expugnauit, Colbergam, Caminum, Velinum siue Iulinum, Cosslinum, & alia quædam oppida suæ potestatis fecit. Haud multò post Henricus Imp. à Sbigneo exule persuasus numerosum in Poloniam exercitum ducit, captisq; nonnullis oppidis, Glogoviam obsidet acerrimè magnâ suorum clade. Inde Boleslao à castris hostium commeatum prohibente, Cæsar Vratislaviam contendit, eamq; circumdat, Boleslao eum à tergo carpente; qui acie instructâ cum Cæsare de summa rei dimicans eius exercitum in campo, vno à Vratislaviâ milliari, qui postea caninus dictus est, fudit fugauitq;. Verùm post victoriam Boleslaus vel sponte vel aliorum instinctu Bambergam ad Cæsarem splendido apparatu profectus, cum eo amicitiã affinitatemq; contraxit. Boleslaus enim Henrici sororem Adleidam duxit, ac filio suo Vladislao impubi adhuc Christinam eiusdem Cæsaris filiam etiam impubem despondit. Post Germanicũ bellum in Prutenos ac Pomeranos in Masoviam excurrentes, eamq; vastantes se conuertit, eosque ad internecionem delevit, captis mille ducentis: Naclum cum sex oppidis aliis eis ademit. Suscepit dein expeditionem in Bohemos Sobeslai Principis ipsorum Vladislai fratris causâ, qui in Polonia exulabat, ob Vasconem Consiliarium interemtum, ibiq; obuia quæque vastat & exurit. Quam nõ multò post

post pax inter vtrumque fratrem Boleslao autore secuta est. Eodem anno Prutenos bello aggressus est, quos vnà cum Pomeranis sequenti biennio expeditione gemina ad extremum perdomuit, totâ Pomeraniâ in potestatem veniente, & Christianam fidem, quam bis abjecerãt, tertiùm recipiente. In Russiam, vt Iaroslaum Vladimirienſium Ducem reduceret, cum copiis ingressus est: sed occiso Iaroslao à Kijovienſibus re infecta domum reuersus. Absente Boleslao Volodor Premislienſium Dux immemor fœderum atque iurisiurandi sui, Poloniam præsidio vacuam infestauit, sed à Boleslao reuerso iusto prælio victus, Volodor Haliciam fugit. His ita gestis Boleslaus aliquandiu quieuit. A Sbigneo fratre notho plurimas iniurias multis annis acceperat, qui sæpius nunc aperta vi, nunc clam vitæ Boleslai insidiabatur, sæpius à fratre in gratiam receptus, noua bella ciebat, qui tandem illo conniuente è medio sublatus est. Cuius facinoris admissi Boleslaum deinceps sic pœnituit, vt præter quotidiana ieiunia & eleemosynas, varias etiã peregrinationes instituerit, nudisq; pedibus eas magna ex parte confecerit. Pòst in Vngariam valido exercitu contendit, vt nepotes suos Stephani Regis filios exules cum matre reduceret, sed bis à Bohemis Poloniam vexantibus reuocatur, quos tandem vltus est. Interea Russos Iaroſelcus Halicienſium Dux ad defectionem solicitauit; sed à Petro Vlostovicio astu captus, nouo sacramento Boleslao obstrictus dimissus est: qui astu astum vlcisci volens, & par pari referre, Halicienses subornauit, Boleslaum orarent, eiectum vt Principem reduceret. Habuit fidem dictis Boleslaus (vt erat naturâ credulus) & aliquot cohortibus stipatus ad condictum locum venit, vt qui nil hostile metuebat. Interim Russi Boleslao obuiam procedunt, tanquam gratulatũri, eum cum comitatu cingunt, ac hostiliter inuadunt: quibus etsi Boleslaus impar esset, turpe tamen ratus fugi-

fugiendo victoriam hosti vltrò concedere, strenuè pugnauit, ac tandem fugâ se seruauit. Quæ ignominia adeo animum eius auxit, vt paulò pòst ex mœrore illo animi in morbum inciderit: qui sensim ingraueścens eum sustulit maximo totius Poloniæ desiderio anno milleśimo centeśimo triceśimo nono, cùm rerum summam administrasset post patrem 36. annis, vixisset 53. Funere Ploscum solenni pompâ elatus, & iuxta patrem conditus. Fuit autem Boleslaus habitudine corporis satis robustus, ac laborum patiens, colore fusco, staturâ mediocri: os ei carbunculus ab ætate ineunte distorserat, vnde Crivoustus seu distortus cognominatus: animi verò excelsi ac periculorum contemptor fuit: ad iram & misericordiam pronus, æqui obseruans: ad credendum perfacilis: ad beneficentiam & clementiam promptus, pacis artium non omnino expers, sed belli studiis longè præstantior, miles strenuus, dux prouidus, solers, ac felix, excepto illo vltimo Halicienśi prælio. Liberos reliquit ex Sbislava Vladislaum, ex Adelheida, filia Henrici IV. Imperatoris, Casimirum, post decem annorum sterilitatem natum, atq; immatura morte exstinctum; Boleslaum, Mieczislaum, Henricum, & denuo Casimirum. Inter filios quatuor partitus omnia, quæ tunc erant Polonicæ ditionis, Principatum & summam rerum penès Vladislaum natu maximũ constituit. In partitione quintum filium Casimirum, qui superiori anno natus erat, præterierat: causam rogatus respondit: currum à quatuor rotis gestari, Casimirum verò suum in medio currus sessurum, ac tandem ad summam rerum peruenturum.

ANNO CHR. 1139.

VLADISLAVS II.



BOLESLAO succesśit filius natu grandior, cui, regni partitione secundùm patris descriptionem factâ, cesśêre Cracovienśis, Siradienśis, ac Lencicienśis tractus cum Silesia. Boleslao verò Masovia, Cujavia, Culmenśis & Dobrinenśis, Calisśienśis & Pomerania citerior: Henrico Sendomirienśis & Lublinenśis. Casimirus verò infans, quemadmodum pater voluerat, à Vladislao educandus susceptus est. Mutatâ itaque Reipublicæ formâ, non diu vicinorum arma

ANNO CHR. 1140.

quievêre. Sobeslaus enim Boëmiæ Dux immemor fœderũ cum Boleslao ictorum, Sileſiam longèlateq; populatus eſt, & ad ſubigendam omnem eam oram animum adiecit: ſed hoc molientem febris ardentiſſima corripit, ac non multò poſt exſtinguit. Vladislaus autem mutilatum Principatum ægrè ferens, ſibiq́ue erepta ducens ea, quæ fratribus voluntate patris ceſſerant, acceptas iniurias vaſtationemq́ue ditionis ſuæ vlciſci minimè perrexit, ægrumq; eius animum vxor mulier auara, & quæ Polonos porcorum loco habebat, Germanis ſuis impendio delectata, magis etiam inflammauit, & in fratres concitauit, querendo, lacrymando, obiurgandoq; marito, vt fratres ditionibus ſuis deturbaret, omneq; imperium ad ſe transferret, autor fuit. Conuocat Senatum Princeps, queſtus, pernicioſum eſſe multorum imperium, vnius eſſe tutiſſimum, velint, iubeantq́ue penes vnum, quem prærogatiua primitiui cæteris fratribus prętuliſſet, eſſe regnum: attributurum ſe fratribus aut definitos è fiſco ſuo reditus, aut verò agros nonnullos & territoria, in quibus illi vitam honeſtè ſuſtentare queant. Senatus ſententiam rogatus, conſilium Principis deteſtatus eſt. Itaque Vladislaus fratribus bellum, Ruſſorum auxiliis fretus, intulit. Henricum Sendomiriâ, & Boleslaum Ploſco Maſouiâq; exterminauit. Reſtabat Mieczislaus, ad quem cæteri fratres confugerant. Vladislaus Poſnaniam, quæ ipſi portas clauſerat, cùm primo impetu capere non poſſet, obſidione cinxit: quæ dum protrahitur, & in obſidentium caſtris diſciplina militaris nulla eſſet, à tergo fratres, & à fronte obſeſſi ex inopinato in exercitum impetum faciunt, ac Vladislaum caſtris ſpoliant: nec deſtiterunt, priuſquam eum toto Principatu exſuerent, poſtquàm non integrum ſeptennium præfuiſſet Reipublicæ. Sic infelix Vladislaus, qui vxoris ſuaſu iniuſtè aliena concupiuerat, ſua iuſtè amiſit, & qui in ampliſſima fortuna Principatuſq́ue prę-

roga-

rogatiua non acquieuerat, in exilium cum vxore ire coactus, in Germaniam ad Conradum III. Imperatorem profugit, opem imploraturus.

BOLESLAVS IV. COGNOMENTO CRISPVS.



EXaugurato VLADISLAO Principe, BOLESLAVS concordi fratrum ac Procerum ſententia ei ſurrogatur. ANNO CHR. 1146.

rogatur. Et moderatè is Principatum gessit, fratresq; magnâ beneuolentiâ complexus, liberalitate etiam magis sibi deuinxit. Initio Principatus legationem Cæsaris, quæ Vladislao ditiones ademtas, ac Principatum reddi postulabat, comiter accepit, ac ei prudenter respondens, Cæsaris propositum de restituendo Vladislao nonnihil immutauit. Eodem anno exercitum in Russiam Izaslai Kijovienſium Principis electi gratiâ duxit. Sed ob Izaslai ignauiam nulla re memorabili patratâ exercitum in Poloniam reduxit. Cæsari ab expeditione Asiatica reuerso, qui bellum ipsi intentauit, ob Vladislaum pulsum, eumque reducere volenti occurrit. Sed bellum illud statim solutum est. Inde Fridericum Barbarossam Imp. idem molientem placat, & attributâ Vladislao Silesiâ, cum eo pacem iniit. Apparabat iam Vladislaus exul reditum in patriam Cæsaris beneficio impetratum post tredecim annorum exilium: verùm in ipso apparatu exstinctus, & Aldenburgi in Holsatiâ sepultus est, relictis filiis Boleslao, Mieczislao, & Conrado, qui quarto demum post patris mortem anno Silesiam omnem sui iuris fecerunt, eâ lege, vt majestatem Poloniæ Principis comiter obseruarent, inter quos patrui vitandarum dissensionum gratiâ ditiones diuiserunt. Anno pòst milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto Boleslaus triplici exercitu instructus, Prutenis, qui iam inde à Boleslai Crivousti morte à fide Principum Poloniæ, & à religione Christiana desciuerant, bellum fecit, eosq; ad pacem petendam, ac religionem Christianam recipiendam coëgit. Sed vix dum anno circumacto ad ingenium redière, Sacerdotes ejecêre, ac templa profanavêre. Veriti autem, ne eos Boleslaus eo nomine vltum iret, ad eum Legatos mittunt luculentis cum donis, se in eius fide permanere profitentes, cæteraq; omnia iussu eius facturos, religionis modò Christianæ necessitatem sibi remitteret: multitudinē auitas religiones neutiquam velle aut posse abjicere. Placatur Boleslai animus, cùm ij de fide erga ipsum nil mutarent. Pruteni videntes, prima ausa impunè sibi cessisse, confestim omnem obedientiam ac fidem Polonis promissam abjiciunt, ac omnem hostilitatem in eos exercent. Eius rei indignitate permotus Boleslaus anno sequente maiore apparatu in Prutenos expeditionem fecit. Verùm perfidiâ perfugarum quorundā nobilium, qui sic fidem suam Boleslao probârant, vt iis ducibus in illa expeditione maximè vteretur, Poloni ad syluestria quædā, palustria & vliginosa loca prædæ spe perducti, à Prutenis in insidiis collocatis, circumdati atque conciſi sunt. Multi ibi cæsi sunt: longè plures voraginibus absorpti sunt. Ibi Henricus Sendomirienſis Dux frater Boleslai inter primos pugnans fortiter occubuit: ibi omne penè robur Polonorum afflictum ac debilitatum est. Edixit pòst Cracoviam comitia Boleslaus, in quibus Casimiro fratri minimo natu Sendomirienſis Ducatus mandatus est. Quod cùm Silesij Duces ægrè ferrent, à quibusdam factiosis instigati, Boleslao bellum parabant. Sed Boleslaus eos ad se vocatos facilitate benignitateq; sua deliniuit ac placauit. Erant & in Cracouienſi ditione homines potentes ac factioſi, qui conspiratione facta ad Casimirum Sendomirienſem Principatū summum deferebant, Boleslaum perosi, quòd imbellem ad obeunda Principatus munia esse dicerent. Verùm hoc dissidium integritate, modestiâ, & constantiâ Casimiri hoc detrectantis sopitum est. Aliquot deinde annis, quibus vixit Boleslaus, quietæ res fuerunt in Polonia, nec memoratu dignum quicquam gestum. Moritur tandem Boleslaus, & Cracouiæ sepelitur anno Christi 1173. cùm Polonię Principatum annos viginti septem tenuisset, vixisset quadraginta sex, relicto vnico filio LESCO, cuius tutelam moriturus Casimiro fratri commendauit, eumq; hæredem filio substituit.

ANNO CHR. 1173.

MIECZISLAVS III. COGNOMENTO SENEX.

ANNO CHR. 1174. POST Boleslaum Crispum MIECZISLAVS cognominatus SENEX ob morum grauitatem, prudentiamq; senilem, quâ præditus fuit adhuc puer, Princeps eligitur, partim quod natu maior, partim quòd morum peculiari quadam grauitate commendabilis esset. Verùm is Principatu suscepto hominum spes fefellit. Nam initio statim aspero & auaro dominatu hominum voluntates offendit: noua onera, noua vectigalia, & varias exactiones subditis imponens: iudicia & alia munera publica quæstuosè conferebat. Ob quæ à Gedeone Episcopo Cracouiensi admonitus, monitorem contemsit, omniaq; pro libidine egit. Proindè cùm Gedeon priuatis admonitionibus nihil profecisset, publicè cum eo expostulat, materiã orationis ei subministrante occasione mulieris cuiusdam, quæ contra priuignum coram ipso querelas protulerat, exemplo Prophetæ Nathanis, qui ficta narratione de oue erepta Dauidem criminis conuicerat: ipse quoque, vt sese Mieczislaus agnosceret, ac resipisceret, efficere conatus est. Verùm frustra omnia. Quâ oratione offensus Mieczislaus in maiorem Poloniam profectus est: vbi dum hæret, proceres Casimirum fratrem eius, Anno post Christum natum millesimo centesimo septuagesimo septimo, Mieczislao deiecto Principem creârunt.

ANNO CHR. 1177.

Exauctoratus Mieczislaus Ratiboriam cum coniuge ac liberis se recipit, ac Principum exterorum auxilia nequicquam implorat. Conatus est postmodum Principatum recuperare, defuncto præsertim Casimiro, cui filius LESCVS cognomento Albus successit. Vnde bellum ciuile, & mox prælium ad Mosgavam fl. exortum, in quo Miezislai filius Boleslaus occubuit, ipse saucius domum lectică reportatus.

Quarto



Quarto anno pòst Mieczislaus inquietis animi Princeps Lesco Cuiauiam intercipit, ac policitationibus Helenę Lesci matris, penes quam tunc erat rerum summa, animum expugnat, transactionemque cum ea huiusmodi facit, si ea dominatum sibi concedat, redditurum se filiis Cuiaviam, eosque adoptaturum, successoresque sibi designaturum. His persuasa mulier credula, Mieczislai postulatis annuit, qui hoc modo fascibus rursus potitus est. Cùm verò pactis conuentis non staret, cuncti quasi signo sublato in eum conspirant, Lescoq;

scoq; principatum debitum deferunt. Quo deturbatus Mieczislaus, ad consuetas artes iterum confugit, Helenamque blanditiis ac dolis adoritur, non sibi imputandum, quo minus promissa impleret, sed proceribus Cracovienſibus, prætendens. Nec difficulter persuasit Helenæ omnia credenti, omniaque timenti. Interim dum tertiò dominatum adipiscitur, nec pactis & iureiurando stat, mors eum inopina oppressit, cùm iam ageret septuagesimum ætatis annum septimum anno Christi milleſimo ducenteſimo ſecundo, Caliſſij in Templo Diui Pauli, à ſe fundato, ſepultus.

ANNO CHR. 1202.

CASI-

CASIMIRVS II. COGNOMENTO IVSTVS.



EXautorato MIECZISLAO CASIMIRVS Sendomirienſis Dux ad ſuſcipiendum Principatũ adactus eſt. Mieczislaus verò Ratiboriam cum coniuge ac liberis ſe recepit. Inde ad Fridericum Imp. affinem profectus eſt, fruſtrà opem eius implorans, eò quòd is & Italicis rebus diſtineretur, & in Aſiam expeditionem pararet. Reuerſus, & omni auxilio deſtitutus ad fratris Caſimiri miſericordiam per in-

ternuntios confugit. Nec sanè difficilem se Casimirus fratri calamitoso præbuit. Indignum enim iudicabat, fratrem nil malè vnquam de se meritum exulare, & egere, à filio Ottone fortunis omnibus exsutum, qui maiorem Poloniam ipsi eripuit, missisq; ad Casimirum Legatis in eius potestate se fore recepit, iratus patri, quòd is præcipua quæq; ditionis suæ natu minoribus filiis è tertia vxore susceptis destinabat. Commouit Casimirum ingens illa in fratre fortunæ mutatio, & inconstans rerum humanarum mutatio. Itaque ad Senatum de reuocando Mieczislao, & ad Principatum suum reducendo refert, qui postulationem eius reiecit. Indulget tamen vincente misericordia ac pietate Casimirus, quo conniuente Mieczislaus Pomeraniam ac Gnesnam intercepit, ac plures munitiones alias partim vi, partim deditione recepit. Quibus consternatus Otto filius, veniâ impetratâ se suaq; omnia patris potestati permisit. Sic Mieczislaus post biennium rursus omni maiori Poloniâ potitus est. Casimirus verò initio Principatus sui vectigalia illa, cæteraq; onera, quibus instituendis Mieczislaus Nobilitatem offenderat, sustulit, iudicia correxit, magistratuum licentiam coërcuit: barbaricos Nobilium mores, quibus ij subditos opprimebant, sustulit. Duxit postmodum ad Haliciam exercitum, vt Mieczislaum Halicienſium Ducem, sororis suæ filium, à fratre pulsum reduceret, & cum Russis concurrit, quos fundit fugatq;, & Haliciam capit. Molestè ferebant id plerique Proceres, mussitabantq;, se ad externum atque iniustum bellum procul domo educi. Interim Mieczislaus senex Casimiro absente Lescum Boleslai fratris filium blanditiis prensat, curatoremq; ipsi à Casimiro datum promissis ingentibus induxit, vt ipse à Lesco hæres scriberetur, tutorque reiecto Casimiro nuncuparetur. Cui rei deinceps vtrumque pœnituit. Itaque ad Casimirum p[illegible] iciscuntur, peccatum fatentur, erratique veniam

niam petunt. Ignoscit illis Casimirus, Lescumque ad sua recipienda reuerti iubet, qui biennio pòst obiit, ac Casimirum hæredem constituit. Interea Halicienses iterum deficiunt, Vngarorum opem implorât, qui Vlodimiro in vincula coniecto, missoque celeriter Andrea Belæ Vngariæ Regis filio valido cum manu Haliciam in potestatem redigunt, & sibi hunc tractum, non Vlodimiro, acquisiuerunt. Cæterùm Vlodomirus, cùm biennium ferè in custodia asseruaretur, corruptis custodibus elapsus, Haliciam peruenit. Verùm cùm eâ potiri nõ posset, defendentibus eam Vngaris, ad Casimiri gratiam confugit, cuius ope Haliciam annonâ deficiente occupauit. Displicebat Proceribus Vlodomiri illa restitutio, & bellum Vngaricum; ideoque cùm Casimirus fortè in Russiam controuersiarum de finibus inter Russiæ Duces componendarum causâ profectus esset, conspiratione quorundam Mieczislaus ad Principatum recipiendus accersitur, qui nullâ morâ interpositâ Cracoviam venit. De quo Casimirus certior factus, Russorum copiis stipatus, Cracoviam rediit, pulsoq; Mieczislao Principatum recuperauit, Mieczislao etiam in gratiam recepto. Cum Vngaris deinde certa pax facta, ac Principum congressu confirmata. Pacatis domi rebus, Prutenis bellum intulit, vt cladem sub Boleslao Crispo acceptam vlciscereturr, missoque in Prussiam exercitu, omnia incendiis ac cædibus vastabat. Quibus malis victi Prussi, pacem à Casimiro petunt, superiorum annorum tributum persoluunt, imperata se facturos promittunt, captiuos Polonos dimittunt, signa bello præterito de Polonis capta reddunt: nam ad religionem Christianam, quam repudiabant, reduci se passi non sunt. Ex Prusia reuersus, pacis artibus, oppidis, & arcibus instaurandis, moribus ac legibus emendandis operam dedit. Tandem in conuiuio quodam exhilaratis conuiuis, ac multa de præteritis bellis ac periculis

inter se conferentibus, ac Principis res gestas celebrantibus, cùm de animæ immortalitate disseruisset, hausto poculo subitò concidit, breuique post extremum vitæ spiritum edidit, non sine pharmaci à muliercula, quam deperibat, propinati suspicione. Princeps optimus, moderatus, sincerus, seuerus iuxta & clemens, bello paceq; clarus; anno Christi 1194. Principatum gessit annis septendecim ferè, vixit quinquaginta sex, Cracoviæ conditus. Reliquit filios Lescum cognomine Album, & Conradum, autorem omnium Masouiæ Principum; Boleslaus enim puer viperæ morsu antè exstinctus est.

ANNO CHR. 1194.

LESCVS VI. COGNOMENTO ALBVS.

ANNO CHR. 1195.

MOrtuo Casimiro LESCVS ALBVS à colore capillorum cognominatus, ob patris merita Princeps eligitur, consilio atque auxilio Fulconis Episcopi Cracouiensis. Sed interim dum adolescit, penès matrem eius Helenam imperium omne, & summi Principis autoritas Procerum voluntate fuit, eâ lege, ne quid sine consilio Episcopi Cracouiensis & Palatini eiusdem loci, qui curatores ac moderatores puero dati sunt, faceret. Mieczislaus senex hæc cùm accepisset, excanduit, ac Silesiæ Principes ad arma concitat, quòd & illi ad creandum communem Principem neque vocati, neque exspectati essent. Colligitur vtrinque exercitus ingens, & ad Mosgavam fl. confligitur. Sauciatus Mieczislaus, fugâ sibi consuluit: sed superuenientibus Silesiæ Ducibus Mieczislao & Iaroslao cum recentibus copiis iterum pugnatum est, sed vincuntur minores Poloni, qui capto Govoricio Palatino Sendomiriense exercitus Duce, nonnihil perturbati, qui terga vertêre. Mieczislaus cùm apertâ vi ad Principatum peruenire non posset, astu rem tentauit: bis vanis promissis Helenæ animum expugnat, bis Lescus Principatu cedit, bis Mieczislaus Principatum intercipit. Quo mortuo, Vladislaus cognomento Lasconogus à gracilitate crurum sic dictus, Mieczislai filius, Lesci patruelis, Princeps creatus est ope Nicolai Palatini Cracouiensis, cuius magna tunc erat autoritas & potentia, eò quòd LESCVS Princi-



patu potius carere, quàm Govoricium Consiliarium bene merentem, qui cum Palatino Cracovienſi capitales gerebat inimicitias, relegare, quod Palatinus Crocovienſis vrgebat, mallet. Vladislaus ad Leſcum mittit, poſtulata Cracovienſis Conuentus exponit, negat ſe quicquam aduerſus eum facturum, ad quem longè antè delatum eſſe Principatum ſciret. Cui Leſcus: Eâ lege, quæ ſibi à Cracovienſi conuentu diceretur, Principatum ſe accipere noluiſſe, nolleque: nec aduerſus animi ſui ſententiam facturum Vladislaum, ſi eum delatum ſuſciperet. Quo reſponſo accepto, Vladislaus Cracoviam profectus, Principatum iniit, magnaque felicitate, iuſtitiâ, ac liberalitate ſtudia voluntatesq; hominum adiungere ſibi cœpit. Interim Romanus Vlodomirienſis & Halicienſis Dux iuriſiurandi ſui immemor Leſci ditionem hoſtiliter inuadit, Lublinenſem tractum à Leſco & Conrado popoſcit mercedis nomine, ob ſtipendia facta aduerſus Mieczislaum, arcem Lublinenſem obſidione cingit, & ad Poloniæ interiora contendit. Verùm Leſcus & Conradus fratres duce Criſtino Goſdovio Palatino Plocenſi ad Zavichoſtum exercitum hoſtilem fundunt fugantque, Romano Duce ipſo in fuga interfecto. Quâ de Ruſſis victoriâ Leſcus tantam virtutis opinionem cõſecutus eſt, vt ſummo omnium conſenſu Vladislao amoto Principatus iterum ad eum delatus ſit, defuncto præſertim Palatino Cracovienſi, & Vladislao Principe modeſto ac quietis amante non ægrè ferente, qui ei vltrò ceſſit, ac Poſnaniam ſe contulit, nec vllâ re poſtea Leſco moleſtus fuit. Principatu denuò Leſcus potitus, in Ruſſia per Legatos res quaſdam vario Marte geſsit, ſiue excurſionibus Ruſſorum in Poloniam prouocatus, ſiue ad ferendam Colomanno Regis Vngariæ filio opem inuitatus. Nullum deinde Leſcus, quoad vixit, bellum geſsit, otio paceque impenſiùs delectatus. In pace verò clementer ac juſtè Principatum geſsit,

geſsit, ædificia partim collapſa inſtaurauit, partim noua exciuit. Pomeraniæ citeriori Sventopelcum præfecit. Maſoviam & Cujaviam Conrado fratri in ſortem patrimonii conceſsit. Duodetriceſimum deinde annum agens vxorem duxit Grimislavam, Iaroslai Ruſſorum Ducis filiam, ex qua Boleslaum, qui pòſt PVDICVS dictus, & filiã Salomeam ſuſcepit. Indixit ad extremum Leſcus comitia ad Ganſavam ob Sventopelcum Pomeraniæ Præfectum, quòd is ad defectionem ſpectare videretur, eò quòd Ducis Pomeraniæ nomine ac honore eum Leſcus non dignaretur, ad quæ etiam Sventopelcum citabat. Verùm is moras nectere. Tandem cum ſuis adeſt, & Leſcum in balneo obtruncat. Adminiſtrauit autem regnum Leſcus à morte patris annos triginta tres ferè; ſed in his Mieczislaus duos, Vladislaus Laſconogus tres. ANNO CHR. 1226.

BOLES-

BOLESLAVS V. COGNOMENTO PVDICVS.

ANNO CHR. 1227.

INteremto LESCO ALBO, delatus est Principatus ad filium eius BOLESLAVM, sed cùm puer septem duntaxat annorum esset, de eius tutela orta est magna controuersia, dum Procerum quidam iure Conradum patruum eius, quidam Conradi sæuos perosi mores, sæuitiamq; reformidantes ad Henricum Barbatum Vratislauiensem Ducem pueri tutelam ac Principatus administrationem deferrent. Sed vicerunt, qui Henrico fauebant. Conradus comparatis copiis vi tutelam inuadere conatur, cui Henricus occurrit, ac bis eum profligat. Verùm nõ multò pòst Conradus Henricum in villa Spitcouiensi sacris vacantem capit, inque Masoviam asportat. Quem Hedvigis coniunx Henrici Pii prudentiâ suâ liberat, ac parricidiale illud bellum inter Principes cognatos componit. Henricus verò tutelâ ac Principatus administratione se abdicauit. Boleslaus iam pubertati proximus, & à Conrado patruo alienus, in Henricum prono studio pariter cum matre ferebatur, siue adeò sui iam iuris esse cupiebat. Quo accepto Conradus Boleslaum cum matre colloquii specie euocatos, Cirscum in Masoviam primùm asportat, dehinc in Secechouiense monasterium eos transtulit, ibiq; asseruari iussit: qui Abbatis operâ breui elapsi in Silesiam ad Henricum profecti sunt: cuius auxiliis adiutus Boleslaus ditiones amissas recuperat, & Henrico, quia magnos ipsius causâ sumtus fecerat, Cracouiensem ditionem vnà cum Principatu sumo concedit. Sendomiriensem verò ac Lublinensem sibi retinuit. Conradus re intellecta in Henricum arma mouit, expeditisq; copiis Cracouiensem oram inuadit, eam vastat vexatq;, arcem obsidione cingit: sed re infecta Masoviam redit. Actum posthac de pace, conuentumq;,



tumq;, vt vterque se Principatus gubernatione abdicaret, ac Boleslai arbitrio permitteret, vtrum ipse sibi curatorem sumeret. Is è vestigio patruo præterito Henricum sibi delegit, qui multa salutaria constituit, leges quasdam malas sustulit, meliores nonnullas sanxit, immunitates Ecclesiarum confirmauit, magistratus bonis viris mandauit, totamq; Rempublicam reformauit. Boleslaus porrò cum Bela Vngariæ Rege nouis fœderibus ictis, siue adeò antiquis firmatis filiam eius Cunegundim vxorem duxit, cum qua in perpetua continentia vixit, ex mutuo religionis consensu, vnde illi Pudici

cognomen inditum. Anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo Tartari Ruſſiâ pervaſtatâ Lublinẽſem oram magno impetu invaſerunt, exuſtaq; arce Lublinenſi omnem illam regionem ad Viſtulam vſque longè lateq; depopulati Zavichoſtum incenderunt, indeque in Ruſſiam reuerſi, depoſitâ tuto loco prædâ, curriculò in Poloniam hyeme reuerſi ſunt, trajectâq; Viſtulâ, Sendomiriam expugnauêre, monaſteriũ Coprivnicenſe diripuêre, progreſſiq; longius Scarbimiriam vſque pervenêre. Quos initio quidem Palatinus Cracovienſis coactâ aliquantâ manu abeuntes inſecutos, & ad Turſcum ex improuiſo adortus, magnam in perturbatis ſtragem dedit: ſed dein Tartari collectis viribus victores Polonos paucis pòſt ſuperârunt, inq; fugã verterunt. Paulò mox Tartari auctis copiis in Poloniam revertêre, omnia ferro igniq; populantes: quibus Nobilitas Cracovienſis ac Sendomirienſis obuiam it, ac pugnandi copiam ad Chmielnicum pagum, non longè à Sidlovia, ipſis facit, initio proſperâ fortunâ, verùm deinde à Tartaris magnâ clade affecti. Quâ re turbatus Boleslaus tota cum familia atq; ſupellectile in Vngariam ad ſocerum profugit. Tartari verò poſt Chmielnicenſem victoriam Cracoviam contendunt, & cùm vacuam defenſoribus reperiſſent, flammis in tecta ſæviêrunt. Exin in Sileſiam ingreſſi, à Miecziſlao Duce Ratisborienſi primùm malè excepti ſunt, ſed pòſt ad Legnicium cum Henrico Pio Duce Lignicenſi congreſſi Sileſios cum Polonis incantationibus ſuperârunt, atq; ad internecionem trucidârunt, Henrico ipſo Duce cum cæteris Principibus occiſo. Quo in prælio interfectorum Chriſtianorum tantus numerus fuit, vt ſingulis ſingulæ auriculæ à Tartaris præciſæ nouem ingentes ſaccos explêrint. Boleſlao nuſquam comparente, Proceres inito conſilio Boleſlaum Calvum Henrici Pii filium ad Principatum accerſunt. Quod Conradus Maſoviæ Dux ægrè ferens, auxilio

lio Sventopelci Pomeraniæ Ducis Boleſlaum Principatu deturbat, occupatâq; Cracoviâ in Maſoviam rediit. Verùm aſperiori imperio vtens à Cracovienſibus ejicitur, & Boleſlaus Pudicus ex Vngaria ad gubernationẽ reuocatur. Hinc noua bella inter Pudicum & Conradum orta; iam victor, iam victus Pudicus, tandem Conradum vincit, ſe ſuaq; ſtrenuè defendit, donec Conradus extremum vitę diem clauſit. A Conradi morte Boleſlaus pacem nactus, collapſa & vaſtata bello inſtaurare, depravataque corrigere inſtituit, magnã manſuetudinis & probitatis laudem etiã apud exteros adeptus. Sub idem tempus maior Polonia & Sileſia ciuilibus bellis ardebat. In Maſovia verò Lituani Viſnenſem oram devaſtârunt, ac tertio deinde anno Lublinenſem tractum depopulati ſunt. Anno deinde milleſimo ducenteſimo quinquageſimo octauo Polonia ciuilibus bellis agitata, ac Tartarorum excurſionibus afflicta & defœdata eſt. Tartari etiam Ruſſis ipſis adiutoribus in Poloniam irruptionem fecerunt, Sendomiriam ceperunt, ac plurimos mortales incautos oppreſſerunt, in eorumque cæde promiſcuè graſſati ſunt. Boleſlaus nuntio hoc accepto in Vngariã denuò cum vxore profugerat, cætera multitudo partim in ſiluas ſe abdiderat, partim munitionibus ſeſe defendebat. Reuerſus ex Vngariâ Iazygas gentem finitimam ac ſibi infeſtam bello adoritur, quos ad internecionem delevit, ac religionẽ Chriſtianam ſuſcipere coëgit. Ruſſos quoq; Duce Palatino Cracovienſi ad Pietam campum fudit, & victoriâ eâ Ruſſos repreſſit. Moritur tandem Princeps optimus ac religioſus Cracoviæ ſine prole, ibique ad D. Franciſci, quod monaſterium ipſe cõdiderat, ſepultus, cùm regnâſſet, ſeu vixiſſet potiùs quinquaginta duos poſt patrem annos, vxore relicta virgine, quæ poſt mariti obitum, deſtinatis atque in pauperum vſus cunctis facultatibus ſuis diſtributis, D. Franciſci profeſ- ANNO CHR. 1129.

sioni se addixit, ac veterem Sandeciam commigrauit, ibiq; reliquum vitæ tempus peregit.

LESCVS NIGER.

BOLESLAO Pudico successit LESCVS NIGER ex patruele natus, quem ipse sibi Boleslaus succeſſorem designârat. Cui nemo aduersatus est, bello à Russis ingruente. Nam Leo Russorum Dux post Boleslai mortem ingenti Tartarorum ac Lituanorum exercitu in Lublinensem ac Sendomirienſem oram inuaserat, vastâratq;. Quem tamen Lescus Duce Castellano Cracovienſi apud Goslice pagum paruâ cum manu temerè quidem, sed prospero tamen euentu repressit atque fugauit, cæsis octo millibus, & captis duobus. Neque contentus eâ victoriâ Lescus, breui maiores copias in Russiam duxit, ac Leonem vltus est, Russiam ad Leopolim, quæ à Leone condita nomen habet, vsque pervagatus, ingentem prædam abegit. Contra Henricum Ducem Vratislavienſem cognomento Probum, quod ille tres Principes patrueles suos, sub amicitiæ spe ad se vocatos, captos detinebat, expeditionem fecit, eiusq; ditionem omnem miserè pervastavit. Lituanos cum Iazygum reliquiis subitâ excursione Lublinensem oram iterum depopulantes insecutus, inter Narvam & Nemenum fluvios cruentâ clade affecit, captivosque liberavit. In eo prælio reliquiæ Iazygum ad internecionem deletæ sunt, ac de Lituanis, quorũ quatuordecim millia fuisse dicitur, pauci evaserunt. Pace partâ, civiles motus Lescum exceperunt. Sendomirienses enim Palatino & Castellano autoribus à Lesco defecerunt, ac Conradum Masoviæ Ducem acciverunt. Verùm Lescus coacto tumultuario exercitu in Sendomirienſem oram cõtra Conradum profectus est. Qui de Lesci aduentu certior factus, cùm non satis crederet Sendomirienſibus, in Masoviam fugit. Lescus verò, autoribus defectionis in gratiam receptis, omnem prouinciam suæ potestatis fecit, gliscensque bellum ciuile oppressit. Sequenti anno in Lituanos, qui per Lucovienſem oram in Sendomirienſem tractum excurrerũt, magnisq; calamitatibus illum affecerunt, expeditionem fecit, eos vincit fugatque. Dum hęc ita geruntur, minoris Polonię



Nobilitas autore Episcopo Cracovienſi à Leſco deficit, & Conradum Maſovium ad ſuſcipiendum Principatum accerſit, qui nullo negotio Cracovienſi ac Sendomirienſi Principatu potitus eſt. Sola Cracovia, in qua ſe Leſcus cum vxore continebat, in fide illius permanſit. Deſertus ab omnibus, Cracovienſium fidei arce cõmendatâ, ipſe in Vngariam ad Ladislaum Regem profugit, à quo non contemnenda Vngarorum & Cumanorum auxilia impetrauit. Id vbi accepit Conradus, occurrit ei cum exercitu, collatiſque ſignis ad Bogucice pagum ad Rabam fl. vincitur, diſſipatoq; exercitu ſuo in Maſoviam profugit, ne alienatis à ſe aduerſo prælio eorũ voluntatibus, à quibus accitus erat, in poteſtatem Leſci veniret. Leſcus moderatâ vtens victoriâ captiuos omnes dimiſit, proceribus culpam deprecantibus ignouit, Cracovienſibus gratias egit, vrbem communiuit, eiuſq; regimen Germanis ſolis proprium in poſterum attribuit. Habitu quoq; & cultu corporis cum eis conformato, quanti eos faceret, oſtendit. Inde Conradum vltum ire volens in Maſoviam ſe conuertit, obuia quæque igni ferroq; vaſtauit, & ingenti cum præda domum reuerſus eſt. Atque ex eo tempore prior illa fortuna ab eo receſſit, & ſecundæ res aduerſis commutatæ ſunt. Eodem enim tempore Tartari locuſtarum in morem in Poloniam irruentes, eam adeò pervaſtârunt, cædibus incendiiſq; nuſquam abſtinentes, vt Leſcus cum vxore fugâ in Vngariam conſulere ſibi coactus ſit. Vnde reuerſus expeditionem aduerſus Conradum Maſovium rurſus parat: ſed cùm difficiliorem ad eam videret Cracovienſem ac Sendomirienſem Nobilitatem, Palatino Siradienſi mandat, vt ipſe cum Siradienſibus ſuis populabundus excurrat. Quos Conradus, qui ditionem ſuam vaſtari paſſus erat, cum valida ſuorum manu occultis itineribus ſecutus, eoſq; incautos ex improuiſo adortus, non leui ſtrage vnà cum Palatino fudit ac diſſipauit, prædâ

dâ omnipotitus. Leſcus autem aduerſis rebus & ſuggillationibus hominum afflictus ex mœrore angoreq; animi in morbum incidit, quo ſenſim tabeſcens paulò pòſt mortuus eſt, & in Templo S. Trinitatis apud Dominicanos ſepultus, bonus ac moderatus Princeps, ſi extrema primis reſpondiſſent.

HENRICVS PROBVS.



LESCO NIGRO ſine prole defuncto, Principatum alii jure cognationis, vt Vladislaus cognomento Locticus, 1289. ANNO CHR.

cus, alii gratiâ populari, vt Boleslaus Plocensis, alii vi & potentiâ ambiebant, vt Henricus Vratislauiensis Dux. Qui, cùm Nobilitas Cracouiensis ac Sendomiriensis Boleslaum Plocensem Principem elegissent, à Cracouiensibus clàm accersitus, iusto cum exercitu venit, eique portæ vrbis apertæ sunt. Boleslaus inopinatâ re perculsus, ex arce Cracouiensi se protripuit, & nequicquam retinentibus Proceribus, qui copias ad eiiciendum Henricum cogebant, iratus in Masoviam rediit, post cuius discessum arx quoque Cracouiensis Henrico tradita est. Ibi tum Proceres, capto extempore & re præsenti consilio, Henrico leges quasdam, si apud se imperare vellet, præscribunt: quas cùm accepisset, Princeps renuntiatus est. Nec tamen diuturna ei Principatus possessio fuit. Vladislaus enim jam Siradiensis Dux indignum ducens, alienum fratri suo successorem in Principatu quæsitum esse, exercitu coacto, & ope fratris Casimiri, atq; Ducum Masoviæ agnatorum Cracouiam contendit ad deiiciendum Henrici præsidium, qui in Silesia relicto præsidio redierat. Factus autem certior de apparatu bellico Vladislai, cùm ipse decumberet, Henricum Lignicensem, & Premislum Sprottauiensem patrueles suos, & Boleslaum Opoliensem expeditis cum copiis Cracouiam mittit. Quorum aduentu cognito, Vladislaus ad Seueriam oppidum ei occurrit, ac prælio cõmisso multis vtrinq; cadentibus Vladislaus victor euadit, Premislo interfecto, & Boleslao saucio capto. Victor Cracouiam profectus apertis portis receptus, omnium acclamatione Princeps renuntiatus est. Sed & hic non diu Principatũ obtinuit. Henricus enim Vratislauiensis Dux nõ dejectus clade priori, nouum rursus exercitum Cracouiam cum Henrico Lignicensi mittit: qui nihil ad celeritatem sibi reliquifaciens, cùm nocte intempestâ Cracouiam accessisset, in vrbem à consciis recipitur. Clamore sublato à Silesiis, tumultuatur tota vrbs: nox ac tenebræ incerta omnia ac formidabilia reddebant.

Vla-

Vladislaus inopinato tumultu perculsus, proditionemq; metuens, ad Franciscanos se recepit, vbi suos passim per plateas cædi, ac se quæri didicit, habitu monachi sumto de muro à monachis demissus euasit. Qui verò partium eius fuerunt in vrbe, partim necati, partim capti, & bona eorũ direpta sunt. Quibus malis adacti cæteri, in potestatẽ certatim rediêrunt Henrici, qui Principatu consecuto, paulò pòst veneno à suis propinato, vt creditum est, mortuus anno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo sine prole, Principatu Premislo maioris Poloniæ Duci legato. ANNO CHR. 1290.

PREMISLVS.



ANNO CHR. 1295.

INTERMISSO apud Polonos ducentis quindecim annis regno, Proceres malorũ ſub tot Principibus pertæſi, ad regnum & vnius imperium reſpicere. Erat inter Principes Premislus, Premisli Ducis Poſnanienſis filius poſthumus, vir acer, & ad magnas res patrandas natus, potenſque, qui maiorem Poloniam ſolus obtinebat, & Pomeraniæ acceſſione auctus, Henricique Probi teſtamento Cracovienſis ac Sendomirienſis Princeps nominatus erat. His opibus fretus, facile ſperabatur & externa bella à Polonia depulſurus, & cæteros Duces ad officium reducturus, & cum dignitate Regia nomen tuiturus. Indictis igitur comitiis Gneſnam, Premislus Rex creatur annum agens triceſimum octauum, & ab Archiepiſcopo Gneſnenſi Iacobo Svvinka diadema regium accipit. Suſcepto regno, mox cogitationes ſuas omnes eò intendit, vt Poloniam vniuerſam pacatam redderet, & in concordiam priſtinã vnumq; corpus redigeret. Ac primùm omnium offenſos ob præſumptum à ſe regnum cæterorum Ducum animos blandis legationibus demulcere, & ad reſtinguenda mutua odia, ac diſſidia inteſtina ſedanda cohortari inſtituit. Deinde externis bellis tollendis manum admouit, & quoniam Cruciferos in Pruſſia de Gedano adipiſcendo conſultare ſubolfecerat, Gedanum munire cœpit. Cæterùm tam præclaros eius conatus mors immatura præcidit, dum ſeptimo vel octauo regni ſuſcepti menſe à Marchionibus Brandeburgenſibus Ottone Longo Electore, Ottone & Ioanne Conradi fratris filiis, qui veteribus odiis incitati, potentiam vicini Principis regni ac Pomeraniæ acceſſione auctam metuebant, ad Rogoſnum oppidũ in vicina Marchia, cùm ipſe bacchanalium die genio indulgeret, ſecurus oppreſſus, pugionibuſque confoſſus, è medio ſublatus eſt. Corpus eius Poſnaniam relatum, in baſilica cum maioribus ſuis conditum eſt. Reliquit filiam vnicam Rixam, ex Rixa Regis

Regis Sueciæ filiâ, decennem, quæ pòſt Venceslao Bohemiq; & Poloniæ Regi nupſit.

VENCESLAVS BOHEMVS.



SVblato per dolum PREMISLO Rege, VLADISLAVS Locticus in comitiis Poſnanienſibus inter Duces Polonos potiſsimum idoneus viſus eſt ad regnum capeſſendum, quippe qui & bellis compluribus acer, ac peritus rei mili-

ANNO CHR. 1296.

militaris esset, & non parum roboris domesticis opibus suis ad teneras adhuc noui regni vires esset adiecturus, cùm Siradiensem, Lencicienſem, ac Sendomirienſem tractũ, & Cujavienſis magnam partem ditione teneret. Quare magno consensu Rex salutatur. Sequenti anno in minorem Poloniam se contulit, & Bohemorum præsidia fautoresque crebris excursionibus vexauit. Sileſiam quoque longè lateq; depopulatus est, quòd Duces ipsi Boëmis fauerent. Postea quieti & otio voluptatibusque se dedit, libidinibus indulsit, militum latrocinia non coërcuit, cætera quoq; boni Principis munia negligentiùs obiit, mulierum amoribus irretitus. Quibus de cùm frustrà admonitus esset ab Episcopo Posnanienſi, toti diœceſi ab eo sacris interdictũ est. Conuentu deinceps Posnaniæ habito, regnum ibi tunc absenti, & in minorem Poloniam profecto, post tertium annum abrogatũ est, & ad Venceslaum Boëmię Regem, quòd nemo potentior hostis obiici Venceslao posset, & quòd is etiã tunc munitiones quasdam in Cracovienſi tractu retineret, delatum est, Sileſiæ suæ stirpis Ducibus præteritis.

Venceslaus igitur accitus fuit sine mora, ac Gneſnæ de more ab Archiepiscopo inunctus, ac regio diademate cinctus, moxque Posnaniam profectus, Procerum suasu duxit Rixam Premisli Regis defuncti filiam, quò magis cius coniugio regnum apud Polonos stabiliret. Deinde dimissis quoquoversum copiis omnia, quæ dudum in ditione Vladislai fuerãt, in potestatem suam redigit. Interim Russi Sendomirienſem tractum infestârunt, & longè lateque depopulati incensâ arce Corcinenſi, quæ lignea tunc erat, raptim ingenti cum præda domum se receperunt. Lituani quoque Dobrinum vexârunt: quam iniuriam Venceslaus tunc neglexit, saltem vt Vladislaum persequeretur. Qui ditionibus suis à Venceslao spoliatus, abjectâ recuperandi regni spe, & insidias aduer-

aduersariorum declinans, in Vngariam profugit: inde porrò Romam priuato habitu profectus, facinora sua duriore pœnitentiâ expiauit. Reuersus pòst in Vngariam, Amedei Palatini Vngariæ hospitio vsus est aliquot annis, exspectans occasionem, quâ regnum ereptum repeteret. At Venceslaus Rex subactis omnibus, quæ in ditione Vladislai fuerant, Gostinum quoq; & Ploscum adortus est, sed re infectâ, agris tantùm vastatis è Masoviâ se recepit. Rebus in Polonia constitutis, relictisq; Præfectis Boëmis, in Boëmiam rediit, nec post id tempus Poloniam vnquam vidit. Fuerunt autẽ eo regnante quietæ res in Polonia, præter quòd minores Poloni aduersus Russos expeditionem susceperunt, eosque vnà cum Lituanis ac Tartaris ad Lublinum victos in fugam præcipites egerũt, ac Lublinenſem arcem post septimum & quinquagesimum fortè annum, postquam à Russis capta erat, receperunt. Cœpit deinde noua spes regni recuperandi affulgere Vladislao Loctico, cùm Polonis iam exosa esse inciperet Boëmorum superbia & auaritia, & Venceslaus Ungarico se bello implicâsset pro filio Venceslao. Non ignarus horũ cùm esset Locticus, Amedei hospitis ope adiutus in Poloniam aliquantâ cum manu Ungarorum contendit, & arces Pelcíscam, Visliciam, Leloviamq; suam in potestatem redegit. Interim non multò pòst Venceslaus Pragæ morbo correptus lentâ tabe absumtus est anno Christi 1305. Cuius morte cognitâ Nobilitas Cracovienſis & Sendomirienſis fortunam secuti, cum Vladislao se coniungunt, eumq; Cracoviam sequuntur. Aduenienti Cracovienses vrbis portas aperuêre, nec morati Boëmi arcem quoq; dedidêre, cùm tardiùs ipsis subueniret junior Venceslaus (qui patri in Boëmia successerat) & victus ac commeatus inopiâ pressi longiorem obsidionem sustinere non possent.

ANNO CHR. 1305.

VLADISLAVS LOCTICVS.

ANNO CHR. 1306.

COMITIIS Cracoviæ habitis VLADISLAVS LOCTICVS seu Cubitalis (sic dictus, quòd staturæ esset pusillæ) magno omnium consensu iterum Rex renuntiatur, Posnanienſibus ac Caliſienſibus exceptis, qui ab imperio eius abhorrebant, priſtinorum flagitiorum atque iniuriarum eius memores, veritíque, ne is grauiùs in ſe animaduerteret, quòd eum priùs ejeciſſent. Itaque à reliqua Polonia tunc ij ſe ſegregarunt, ac Henrico Glogovienſium Duci Prę-misli ex ſorore nepoti ſe ſubjecerunt. Quare Vladislaus bellum Henrico fecit, ſed illo nuſquam in aciem prodeunte, vaſtatis duntaxat hoſtium agris, villis, atque oppidis in Pomeraniam citeriorem deſcendens, Gedani ab incolis iusjurandum accepit. Ceterùm non diu pacatam tenuit Pomeraniam Vladislaus. Auctor enim nouorum motuum fuit Petrus Pomeraniæ Cancellarius Palatini Gedanenſis filius, qui, quantò plus poſsidebat, tantò maiori cupiditate atque ambitione flagrabat: & cùm repulſam à Vladislao de quibuſdam poſtulatis paſſus eſſet, conſilium capit prodendæ Marchionibus Brandeburgicis patriæ. Sed proditis re nondum maturâ eius conſiliis advolat Vladislaus, captumq; Petrum abducit Cracoviam, quem tamen non multò pòſt à fratribus ipſius exoratus dimiſit, cùm ij ſe obſides obtuliſſent, qui tamen ipſi negligentius aſſeruati breui elapſi ſunt. Acciti itaq; ab iis Ioannes ac Voldemarus Marchiones, cum exercitu in Pomeraniam ingreſſi ſunt, protinuſq; pleraſque eius Prouinciæ munitiones deditione accepêre, partim expugnauêre adjuvante Petro cum fratribus ac clientibus. Ad Gedanum dein caſtra admoverunt, quibus ciues vrbis portas aperuêre. Arci præfectus erat Boguſſa Pomeraniæ judex, is veritus, ne obſeſsi extrema pati cogerentur, néve aut obſidionis diutinæ mole-

moleſtiâ fracti arcem hoſti dederent, ad Vladislaum commendatâ aliis arce excurrit in Poloniam, de ſtatu rerum Pomeranicarum, ac de periculo arcis Gedanenſis edocet. Policetur Vladislaus, breui ſe eis adfuturum auxilio; ſed quia tardiùs id fore judicabat Boguſſa, ſuggerit Vladislao, vt Cruciferorum operâ ad defendendam arcem vteretur, tantiſper, dum ipſe commodè bellum aduerſus Marchicos parare poſſet. Placet Vladislao conſilium, confeſtimque Boguſſa cum mandatis ad Cruciferorum Magiſtrum proficiſcitur. Statuuntur conditiones, vt dimidiã arcem ipſi tenerent, & annum vnum ſuis impenſis defenderẽt, deinceps verò anno exacto, quæcunque impendia facerent, eis præſtarentur, nec priùs arce cederent, quàm exſoluta illa ſibi eſſent. His igitur conditionibus in arcem recepti, ac munia cum Pomeranis partiti, non contenti erant defendere munitionem, ſed crebris etiam eruptionibus hoſtem laceſſebant, ita vt ad extremum hyeme ingruente obſidionem ſolveret, relictoq; in oppido aliquanto prę-ſidio diſcederet. Verùm id quoque non multò poſt expugnatum, & præſidium interfectum eſt. Cùm verò Cruciferi ſuperiores iam ſe Pomeranis animaduerterent, ferociùs ſeſe gerere, ac ſæpe cùm illis rixari: tandem totam ſibi arcem vendicârunt, atque ipſum Prę-fectum in carcerem cõpegerunt. Quâ neceſſitate adactus ille, arcem illis conceſſit, ita tamen, vt eam Vladislao ſimul ac poſtularet, redderent, cùm is belli impenſas ipſis refudiſſet. Quâre ad Vladislaum Cracoviam perlatâ, cœpit eum pœnitere conſilii de accendis contra Marchiacos Cruciferis. Videbat enim, lupis ſe oues commiſiſſe, & non ſublatum, ſed duplicatum ſibi bellum, duoſque ſe pro vno hoſte ſibi conciliâſſe. Conveniunt tandem Vladislaus & Magiſter Cruciferorũ ad Grajovvice pagum in Cujavienſi tractu cum proceribus vterque ſuis, expoſtulaturi de arce Gedanenſi, quam hypothecæ nomine tene-

tenere se Cruciferi prætendebant, paratos autem eam reddere, si impendia sibi persoluerentur. Æquum se postulare affirmat Vladislaus, ac impendiorum summam edere iubet. Ibi Magister conceptum animo dolum detegens, centies mille marcas grossorum Bohemicorum poscit. Negare Vladislaus, iustam esse eam æstimationem, bonorumq; virorum arbitrio in ea stare velle ait. Recusare id Magister, ac, quantum edidisset, postulare. Itaq; re infectâ irritatis magis animis disceditur. Subsecuta sunt alia mala. Lituani enim Vladislai ditiones infestabant. Temporis igitur oportunitate sibi vtendum rati, cum Marchionibus fœdus iciunt, eâ lege, vt ij retinerent, quicquid superiori bello in Pomerania occupâssent. Gedanum verò, Dersaviam, ac Sueczam in ripa Vistulæ positas bello sibi acquirendas concederent. Potiti Gedano ad Dersaviam ducunt exercitum, eamque perfidè iuris sui faciunt. Paululum tandem provecti, totam Pomeraniam subigunt. Ne verò id iniustè feciſse videantur, rem fuco omnem tegunt, emunt eandem Pomeraniam à Marchionibus decies mille marcis grossorum Bohemicorum, eamque emtionem ab Henrico Cæsare sibi atque Ordini suo confirmandam curant. Quò minùs autem tum Vladislaus Cruciferos vltus non sit, suaque ab ipsis erepta repeteret, motibus quibusdam ciuilibus ac Cracovienſis ciuitatis defectione impeditus est. Cracovienses enim Alberto Aduocato autore Duci Opolienſi Boleslao se subjecerunt, eumq; accitum in vrbem receperunt. Quâ de re certior factus Vladislaus, nil sibi reliqui ad celeritatem fecit, quin manu factâ ad eiiciendum aduersarium cõtenderet. Boleslaus hoc accepto sponte vrbe excessit, quem Aduocatus & alii secuti, in Silesia deinde exsulârunt. Comitia pòst Cracoviæ indicta, in quib. Vladislaus cum vxore Hedvigi in basilica Cracovienſi ab Archiepiscopo Gnesnenſi coronatur. Nec longè pòst Vladislaus Rex



Rex filiam Elisabetham Vngariæ Regi Carolo viduo elocavit, ac Budam ad sponsum misit. Intendit pòst hæc animum ad purgandã Poloniam furtis latrociniisq;, & ad persequendam contra Cruciferos litem: verùm detrectârunt ij judicium delegatorum Brestæ ius dicẽtium. Damnati tamen sunt, ac Pomeraniam Regi reddere, ac centũ quinquaginta marcarum millia pro perceptis frugibus numerare iussi; cumq; non parerent, anathemate icti sunt. Dum hæc ita geruntur, Silesia ciuilibus Ducum suorum bellis exagitata labefactataq;, ad extremum à Polonis deficiens, Ioanni Bohe-

miæ Regi se subjecit. Rex tot tantisq; difficultatibus implicitus, cum Lituanis fœdus iniit, ac filiam Gedimini magni Lituaniæ Ducis filio suo Casimiro vxorem dedit. Huius ope Masoviam ferro igniq́ue adfligit, ac Marchionibus plurima damna intulit, & Cruciferis, qui ne Pontificis quidem autoritate commovebantur, vt Pomeraniam sibi redderent, bellum mouit: cum quibus in Cujaviam excurrentibus fortiter feliciterq; pugnauit, cæsis ad internecionem Crucigeris vnà cum Commendatore Torunienſi. Sequenti anno, qui fuit supra milleſimum trecenteſimum viceſimus nonus, Ioannes Bohemiæ Rex à Cruciferis vocatus, valido cum exercitu in Prussiam advenit, cuius fiduciâ Crucigeri Regi Dobrinũ, Vladislaviam, & Ciechocinum, ditionis Epiſcopi Cujavienſis auferunt: post Racianzum eiusdem Epiſcopi arcem capiunt, Vissegradum, Naclum, & Radiejoviam incendunt exuruntq;. Pomeraniam à Bohemiæ Rege jure sempiterno obtinent. Induciæ tandem inter Regem atque Cruciferos in annum factæ eâ conditione, vt Dobrinenſem arcem tractumq;, & Bydgoſtiam Cruciferi Regi mox redderent. De Pomerania verò Carolus Vngariæ, ac Ioannes Bohemiæ Reges arbitri delecti. Comitia deinde Rex Chencini habuit, in his cùm alia de Republica ſalutaria conſtituit, tum quòd grave ſibi bellum cum Cruciferis impendere non ignoraret, ætatemq; ingraueſcentem conſideraret, Caſimirum filium viginti & vnum annos natum maiori Poloniæ præfecit, vt nominis eius fama hoſtes commoueret: ad hæc vt in tuto is eſſet, ſi quid ſibi aduerſi in bello Pruſſico accideret. Ægrè tulit Vincentius Szamotulius Palatinus Poſnanienſis præfecturam illam ſibi ademtam: itaque clam ad Cruciferorum Magiſtrum Mariæburgum profectus, & molienti ſuâ ſponte bellum aduerſus Polonos facilè perſuaſit, vt in maiorem Poloniam copias mitteret, quòd ibi non ſolùm luculentâ potiri prædâ,

prædâ, ſed & munitiones pleraſque, & Caſimirum Regis filium operâ ſuâ facilè in poteſtatem poſſent redigere. Faciunt omnia copiarum Crucifericarum Præfecti de Szamotulii conſilio, qui Viſtulâ traiectâ ad Torunium occultis itineribus in Maiorem Poloniam perueniunt, & captâ primo impetu Slupciâ continuato itinere Pyſdros, vbi Caſimirum eſſe didicerant, contenderunt, oppidoq́ue facilè potiuntur. Verùm euentus eorum ſpei non reſpondit. Caſimirus enim de hoſtium aduentu certior factus cum paucis oppido ſe ejecerat, atque in proximam ſilvam ſe abdiderat. Quamobrem irati Cruciferi immaniter in oppidanos ſævierunt, oppidumq́ue direptũ exuſſerunt. Probauit hîc fidem ſuam Cruciferis Szamotulius. Itaque & honorificè tunc pro nauata opera muneratus eſt. Vexârunt rurſus eadem æſtate Cruciferi maiorem Poloniam, & oppida non pauca ibidem diripuerunt. Porrò Rex non longè ſuis cum copiis aberat, ſed nõ audebat prælio congredi, non ignarus, quantum eſſet robur exercitus Germanici. Diſcruciabatur autẽ maximè, videns, Poloniam tam crudeliter à Cruciferis vaſtari, ac difficile ſibi eſſe eos vlciſci, Szamotulium ſecretó per internuncios hortatur, vt afflictæ patriæ miſereatur, impunitatem admiſſi policens. Qui proditionis maculam nouo beneficio obliterare cupiens, ſtato tempore noctu exploratoris ſpecie è Cruciferorum caſtris egreſſus ad Regem venit, veniam ſupplex petiit atque impetrauit. Exin Regem ad confligendum cum Cruciferis animat: ſibi verò eas partes ſumit, vt hoſtem ab omni ſuſpicione prælii auerſum fallat, ac deinceps intentum in pugnam à tergo eum cum ſuis adortus nouâ re perturbet. His ita conſtitutis, in caſtra Cruciferorum redit, nil à Polonis periculi ipſis eſſe renuntiat. Quod vbi accepêre Cruciferi, ſublatâ prælii ſpe, cùm ſatis iam debacchati in Polonia eſſent, ac prædam magnã vix traherent, reuertuntur in Pruſ-

siam. Iam extremum agmen ad Plosce pagum prope Radejoviam pervenerat, vbi magna planicies, cùm subitò illucescente die ij, qui extremas seruabant excubias, renuntiant in castra, Polonorum exercitum adesse. Non creditum est narrantibus, Szamotulio omnia sibi exploratiora affirmante, donec strepitus aduentantium ac hinnitus equorum exaudiretur: nec tamen credebant Cruciferi, Polonos rem vniuersæ dimicationi commissuros, sed tantùm abeuntium iter impedituros: vbi verò aciem ad dimicandum instructã adesse sensêre, tum demum tumultuari, atq; ad arma conclamare, instructisq; vtcunq; primis ordinibus in aciem prodire. Pugnatur vtrinque summâ contentione. Adest vbiq; Rex suos animans, ac fessis integros submittens. Ibi Szamotulius à tergo hostium clamore sublato cum suis impetum in extremos auersos fecit. Tum verò illi novâ re perculsi: primi quoque exaudito clamore respicere, ac inter se sciscitari, quidnam esset: instant Poloni acrius inspectantibus, ac remissiùs pugnantibus: jamque cæsis Ducibus totas acies ancipiti prælio perterrefactas convertunt. Fit longè maior fugientium strages, quàm quæ dudum pugnantium fuerat. Cæsa feruntur Cruciferorum supra viginti millia, de Polonis quingenti. Tentata est denique pax inter Polonos ac Crucigeros Vngariæ & Bohemiæ Regibus arbitris, quæ tamen non conuenit, Cruciferis Pomeraniam non reddentibus. Nec multò pòst ij, cùm ex Germania nouis copiis aucti essent, Cujaviam vastârunt, & oppida aliquot potestatis suæ fecerunt. Pacossum autẽ arcem Albertus Koscielecius Palatinus Brestensis strenuè tutatus est, ac nõ paruis incommodis Cruciferos affecit. Posteà Rex per Masoviam in Culmensem tractum irruit, eumque longè ac latè vastat. Quo exciti Crucigeri inducias à Rege annuas impetrant. Quibus Rex constitutis, vt Silesios, qui superiori anno Poloniæ arma intentârãt, vlcisceretur, in Silesiam copias duxit, ac nemine pugnandi copiam faciente quinquaginta & amplius munitiones cepit incenditque. Costenum quoque oppidum cum arce, inter stagna paludesq; positum, quod valido hostium præsidio tenebatur, obsidione cinxit, nec prius oppugnare arcem destitit, quàm eam expugnauit. Reuersus inde Cracoviam languere cœpit, ac sensim morbo inualescente, vbi mortem imminere sensit, sacris sumtis mysteriis mortuus, ac in basilica Cracovienſi sepultus est. Regnauit pòst coronationem annis tredecim, & paulò amplius, Princeps singulari prudentiâ, manſuetudine animi præstans, adeuntibus facilis, staturâ pusillâ, sed manu promtus: virtute atque animi magnitudine tantâ, vt cum magnis Regibus rectè comparari possit.

ANNO CHR. 1333.

CASIMIRVS MAGNVS.

VLADISLAO patri CASIMIRVS filius, ex Piastæa familia vltimus, omnium voluntate successit, coronatus vnà cum vxore ab Archiepiscopo Gnesnensi. Initio regni inducias cum Cruciferis fecit, quas perpetua pax Vngariæ & Boëmiæ Regibus sequestris secuta est, iniquior Regi quàm Cruciferis: quam ille tamen accepit, plus, quàm par erat, ocii quietisque amans, Cruciferis Pomeraniâ, Culmensi, ac Michalovienſi tractu cedens. Cruciferi, licet omnia ex voto à Rege Casimiro obtinuissent, pactis tamen non steterunt. Non enim reddebant ex decreto Cujaviam & Dobrinum Polonis. Itaque ad Pontificem Rom. Benedictum XII. de Cruciferorum iniuriis, ad eius iurisdictionem propter religionem pertinentium, missus est legatus, qui Regi Cujaviam ac Dobrinũ reddenda ac decem florenorum millia adiudicata numeranda à Cruciferis curaret: de cęteris verò cõtrouersiis cognoscerent. Cruciferi verò, vt prætextũ iniuriæ aliquem haberent, & neq; arbitrorum decreto, neq; Pontificis mãdatis parendi necessitate vrgerentur, perfecerũt apud

ANNO CHR. 1333.

Ludovicum Cæsarem, vt is Cruciferorum Magistro graui pœnâ interdiceret, ne cuiusquam mandati quicquam de iis Prouinciis, quas ab Imperio haberent, alicui cõcedant, néve apud vllos iudices de iis disceptent præter assensum suum. Cùm verò judices à Pontifice delegati Varsaviæ cognoscendæ causæ aliquandiu operam dedissent, refutatâ friuolâ provocatione Cruciferorum, adjudicârunt Regi Pomeraniam, Cuiaviam, Dobrinum, Culmensem ac Michalovienſem ditionem: Cruciferos autem ad centum nonaginta quatuor millia, & quingentas marcas Polonicas pro damnis datis, itemq; ad mille sexcentas marcas impensarum nomine condemnârunt: cumque iudicata non facerent, excommunicati sunt, ac sacris interdictum omnibus locis, quæ in ditione eorum. Cùm autem Rex nullos ex vxore mares susciperet, ac de successore in comitiis Cracoviæ cõsultaretur, omnium sententiæ in Carolum Vngariæ Regem sororium regium, ac filios eius inclinârunt. Quâ re confectâ, conuentuq; dimisso, mox Vissegradum in Vngariam ad Regem se contulit, inibi fœdera renovavit confirmavitq;, & pacta cum Rege ac filiis de sententia totius Conventus Polonici inivit. Ex Ungaria reuersus Russiam meridionalem, in qua masculâ progenies Danielis Russiæ Ducis defecit, aggreditur, eamque in Prouinciæ formam redegit. Interea Reginâ Annâ defunctâ alteram duxit Adleidam Henrici Landgrauii Hessiæ filiam, quæ cùm deformior esset, mox eam despicatui habere, & segregatam à se in Zarnovienſem arcem relegare, quò maiore licentiâ libidinibus indulgeret. Profectus est deinde in Vngariam ad funus Caroli Regis; mox ad voluptates ac libidines suas rediit: quæ quidem animũ eius adeò dementârunt, vt dignitatis suæ oblitus iniquas pacis conditiones à Cruciferis acciperet potiùs, quàm erepta ab his bello repeteret: facileq; concessit petentibus, vt jure omni, quodcunque à maioribus



ribus haberet in Pomerania, Culmensi & Michalovienſi ditione, se posteroſque suos iureiurando interposito, ac literarum monumentis consignatis abdicaret. Iam damnosâ cum Cruciferis pace factâ, receptâque Cujaviâ ac Dobrino, Rex Saganensi Duci Henrico bellũ intulit, vt recuperaret Frauſtadiense territorium ab Henrico Glogoviæ Duce interceptum, & à maiori Polonia avulsum. Quod bellum paucis diebus confectum est captâ Frauſtadiâ & Stinaviâ. Eodem anno collocavit etiam Rex filiã Elisabetham Boguslao Pomera-

meraniæ Duci in matrimonium, ac fœdus cum eo fratribusq; legibus certis iniit. Interea ingentes Tartarorum copiæ in Russiam excitæ à Russis nouas res molientibus Poloniam vastare. Sed à Rege obuiam eis profecto præpediti, ne Vistulam traiicere possent, ad sua reuersi sunt. Sequenti anno Ioannes Bohemiæ Rex bellum Poloniæ intulit, ac tanto quidem animi ardore, vt quamvis senio confectus, alterum quoque oculum iam amisisset, tum libenter moriturum se affirmaret, cùm Cracoviæ muros manu victrice palpâsset: sed fortunâ votis non respondente à Polonis fusus fugatusq; est: Nil postea memorabile in Polonia gestum, præter leges in Comitiis Visliciensibus scriptas, quibus Palatinorum ac judicum infinita potestas certis cancellis coercita est, vt non ex moribus aut libidine sua, sed ex scripto iure deinceps iudicarent. Fecit dein Rex expeditionem in Russiam, & expugnatis Lusco, Vlodimiriâ, Chelmâ, ac Brestâ Volyniam omnem, Belsensem ac Brestensem tractum sui iuris fecit. Postea Ludovicum Vngariæ Regem successorem in regno designavit, si ipse sine masculis decederet. Ex Russia reuersus, de libidinibus nil omnino remisit: sed palàm concubinas alebat, ac se totum libidinibus tradebat. Admonitus primò à Cracovienſi Episcopo, deinde à Vicario Basilicæ Martino Bariczka, eum in præterfluenti Vistula submergi iussit. Ob quod facinus Rex diris devotus est, pœnæ epidemicæ secutæ, pestis, Tartarorum incursiones, ac Poloniæ vastatio. His itaque calamitatibus admonitus Rex, cùm tandem pœnitentiam egisset, absolutus à Pōtifice, plurima templa condidit, multaq; præter ea ad placandam Numinis iram præclara opera edidit. Accessit post annos aliquot Masovia ad cæteræ Poloniæ societatem, Ziemovito Masoviæ Duce Regi se subiiciente. Nec diu post Rex mortuâ Adleidâ secundâ vxore tertiam duxit Hedvigin Glogoviæ Ducis Henrici filiam,

liam, post cuius nuptias in Valachos ignominiosam suscepit expeditionem, & Stephanum Valachiæ Palatinum Principatu à fratre Petro excluſum, qui in Poloniam profugit, hæreditati paternæ restituit: Sed in reditu in silua densa atque impedita Poloni à Valachis ex insidiis oppressi sunt. Quam cladem secuta est pestis, quæ in oppidis & pagis dimidiam fermè hominum partem absumsit. Missis postea ad Pontificem Rom. Vrbanum Quintum Legatis, obtinuit, vt in Russia cathedra metropolitana Leopoli erigeretur. Anno dein millesimo trecentesimo sexagesimo tertio pace inter Carolum IV. Imp. ac Ludovicum Vngariæ Regem restitutâ, Casimirus Rex Elisabetham neptem suam Ducis Pomeraniæ Boguslai filiam Carolo Imperatori vxorem dat, nuptiasque ei Cracoviæ præsentibus Vngariæ, Daniæ, ac Cypri Regibus, & aliis Principibus non paucis regias facit. Quibus peractis, ac fœdere sempiterno inter Reges icto, adiecit animum Rex ad recuperandam eam Russiæ partem, quam ante annos aliquot Russorum defectione amiserat: indictâq; vniuersæ Poloniæ expeditione Russiam inuadit, totamque suam facit. Tandem cùm venatum in Siradiensi tractu ad siluam proximam profectus esset, fugientemq; cervum inter vepres avidiùs persequeretur, lapso equo, quo vehebatur, vehementer homo carnosus conquassatus est, adeò vt febrili horrore invaderetur. Relatus Predboriam, ac Medicorum ope releuatus Sendomiriam contendit, vbi cùm spretis Medicorum præscriptis intemperantiùs viueret, in febrim recidit. Cracoviam aduectus, & magis ac magis languens Medicos rogat, liberè vt dicant, an de vita sua desperent. Sed iis bonam ostentantibus spem nihilominus, cùm destitui se viribus sentiret, accito Episcopo Cracovienſi, atque Vladislao Duce Opolienſi sororis suę nepote, & nonnullis aliis, testamentum condit, in quo multis multa donauit, præsertim Cracovienſi,

ANNO CHR. 1370. vienſi, Gneſnenſi, ac Poſnanienſi Baſilicis: ſacris denique acceptis mortuus, & in baſilica Cracovienſi ſepultus eſt. Præfuit regno annos XXXVII. vixit ſexaginta, pacis quàm belli artibus clarior: vnde etiam Magni cognomen non tam virtute bellica & victoriis meruiſſe videtur, quàm operibus magnificis & plurimarum arcium atq; oppidorum munitione. Staturâ fuit procerâ, eâq; corpulentâ, capillo criſpo, barbâ promiſsâ, voce ſonorâ, ſed balbâ aliquantulùm: domeſtica vita impurior: in victu intemperans, in libidine pronus.

LVDOVICVS VNGARVS.

ANNO CHR. 1371. CASIMIRO Rege defuncto, LVDOVICVS Vngariæ Rex Caſimiri ex ſorore nepos, cui iam antè deſtinatum erat regnum, ad id capeſſendum ſe parat, matre in Poloniam præmiſsâ. Aduenientem nouum Regem Poloni ad Sandeciam obviam progreſſi honorificentiſſimè excepêre, Cracoviamq; deduxêre, vbi ab Archiepiſcopo Gneſnenſi coronatus eſt. Exequias pòſt ſumptuoſas avunculo fecit, vbi infinita hominum multitudo lachrymis, planctu, ejulatuq; deſiderium Regis defuncti teſtata eſt, præſertim quòd cum eo Regum ſuorum ſucceſſionem iam inde à Piaſto vſque deductam exſtinctam cerneret, regnumque ad externum Regem devolutum, qui longè abfuturus eſſet. Hoc cùm novus Rex animadverteſſet, veritus, ne quam filiæ Caſimiri nouandarum rerum occaſionem Polonis darent, eas in Vngariam præmiſit, ibique iudicio conſtituto perfecit, vt exhæredes pronuntiarentur. In majorem Poloniam poſt paucos dies profectus eſt, ac biduum Gneſnæ moratus, paratum ſibi in baſilica ſolium aſcendere, noluit, affirmans, neque



neque ſibi, neque Polonis id decorum fore, vt coronationem Cracoviæ peractam quaſi in dubium vocaret. Cracoviam deinde reuerſus, mox in Vngariam rediit, regni adminiſtratione matri commiſsâ. Quæ muliebri vſa conſilio juvenes imperitoſq; homines in Senatum allegit, ac non paucos viros bonos magiſtratu mouit, ac nihili homines eis ſuccenturiauit. Filiam dein natu grandiorem Mariam Sigiſmundo Caroli Cæſaris filio nec dum ephebo deſpondit, & in aula ipſum ſua educauit, cùmque duas haberet filias,

& duo quoque regna, vtrique viuens prospexit, alteri apud Vngaros, de altera verò cum Polonis certis conditionibus paciscitur, vt defuncto ipso in Polonia ei succedat. Exstiterunt pòst motus noui in Polonia majori, quorum causa fuit Vladislai cognomento Albi, Vladislai Loctici ex fratre Ziemomyslo nepotis, qui Divioni in Burgundia monachus erat, à Proceribus nonnullis nouarum rerum cupidis in Poloniam reuocatio. Hic enim non contentus fortunâ suâ, monastico ordini se addixerat Divioni, cuius memores quidam ex proceribus pœnitentiâ Regis externi absentisque, & muliebris imperii ducti, hunc Vladislaum, quòd nemo eo propinquior Casimiro ac Vladislao Regibus agnatus viueret, ex cœnobio acciendum curant. Aduenienſ igitur Inovladislaviam ex improuiso occupat, inde Gnievcoviam, Zlotoriam, & Sarlejum arcem oppugnat, suæq; potestatis facit. Quę omnia Sendivojus Subinius Maioris Poloniæ Prępfectus haud multò post recuperauit. Pertæsa horum motuum Elisabetha Regis mater, in Vngariam reuersa est: sed brevi pœnitentiâ ductâ in Poloniam rediit. Suscepit pòst Ludovicus Rex bellum contra Lituanos, qui valida cum manu minorem Poloniam populabundi pervagati sunt, ingenti prædâ abactâ, eosque in ordinem redegit, atque ex Russia eiecit. Cùm verò Regi Russia ob fertilitatem placeret, missis ad Gregorium XI. Pontificem Romanum Legatis effecit, vt duæ ibi Cathedræ Episcopales, Premisliæ videlicet ac Vladimiriæ, Haliciæ verò Archiepiscopalis, quæ pòst Leopolim translata est, instituerentur. Cæterùm cùm propensior esset in Vngaros, Russiam eis adiungere voluit, Polonis, à quibus subacta, ademtam. Suspecta & molesta hæc res fuit Polonis. Itaque de ea & aliis domesticis malis cum Rege crebris literis ac nuntiis, & multorum querimoniis actum. Quibus ille motus Vladislaum Opolienſem Ducem, quòd negaret auram

ram Polonicam se ferre posse, gubernatorem atq; vicarium misit: verùm Poloni negârunt se homini, quem ipsi sibi Principem non constituissent, parituros esse, eò quòd id contra leges atq; instituta maiorum suorum esset. Dum hæc fiunt, vectigal rastrale dictum, quod ad duos grossos à Rege redactum est, dimidium eius, quod antiquitus pendebatur, Regis jussu ab Ecclesiasticorum agrorum cultoribus exigi cœptum est: hoc est, seni grossi, & singuli modii siliginis atque avenæ in mansos: negantibus exactoribus regiis, gratiam illam, quæ Nobilitati facta esset, etiam Ecclesiasticis indultam esse. Quocirca Legatis in Vngariam missis à Rege impetrârunt, vt eodem iure, quod ad illud vectigal, cum Nobilitatis bonis Ecclesiasticorum bona censerentur. Ceterùm cùm Ludovicus Rex assiduis Polonorum querelis fatigaretur, vt Reipublicæ Polonæ rectius constituendæ rationem iniret, Budam eos ad comitia euocauit, vbi paucis approbantibus rerum Polonicarum summa tribus regni Senatoribus, Episcopo Cracovienſi, Castellano item Cracovienſi, ac Palatino Calissienſi mandata. Verùm Triumviris illis malè Rempubl. administrantibus Polonorum animi non sunt mitigati. Tandem cùm Rex languere se sentiret, vt viuens adhuc filiarum res stabiliret, comitiis Zvoleni indictis, successores sibi designat, in Polonia Mariam natu maiorem filiam cum Sigismundo sponso eius. Sed Sigismundus nõ suo ordine, & ante tempus agens negotium, magnum obicem in adeundo Poloniæ regno sibi ipse posuit. Interim Ludovicus Rex Tirnaviæ, quò conuentum Vngaris edixerat, vitam finiit, cùm imperâsset in Polonia annos duodecim, in Vngaria quadraginta & vnum, vixisset autem quinquaginta sex. Fuit staturâ mediocri, prominentibus oculis ac labris, capillo barbâque crispâ, humeris paulùm incurvis: moribus temperatis, in supplices clemens, in doctos propensior: plebis non mino- ANNO CHR. 1382.

rem, quàm Nobilitatis curam gessit. Itaque nonnunquam dissimulato habitu vicos atque oppida obivit, vt cognosceret, quid de publicanis atque exactoribus, judicibus ac magistratibus suis, ac de se denique hominum vulgus sentiret, multaq; ex huiusmodi sermonibus in se suisq; correxit atque castigauit.

VLADISLAVS IAGELLO.

ANNO CHR. 1384. LVDOVICO Rege mortuo Hedvigis filia Vilhelmo Archiduci Austriæ jam antè desponsata, Regina Poloniæ designata & coronata est, eâ lege, vt reciperet, se de Procerum consilio nupturam, qui regiam dignitatem molemque rerum maximarum rectè sustinere posset. Dum autem de re tota consultant Proceres, Iagello magnus Litvaniæ Dux Legatos amplissimis cum muneribus ad Hedvigin mittit, eiusque coniugium ac regnum dotale expetit, multa magnaque pollicens, quæ ad regni amplitudinem, & ad religionis Christianæ incrementum pertinere videbantur. Abhorret Hedvigis à matrimonio, quòd barbarus esset, & quòd pacta iam quædam cum Vilhelmo Austriæ Duce de matrimonio priùs intercessissent adjectâ ducentorum millium florenorum pactione, ni pactis conventis staretur. Responsum ad hoc: Iagellonem Christianâ matre natum, non alienum à religione Christiana animum gerere, quamuis eius sacris nondum initiatus esset: illa verò ducenta millia, si necesse sit, ipsum exsoluturum, thesauroque suos ac majorum suorum in Poloniam importaturum, ac Litvaniam Poloniæ inserturum. Probabant has conditiones Poloni, eamq; ob causam missi ab iis ad Elisabetham oratores in Ungariam, optatum responsum retulerunt. Deviuersi itaque con-



uentus sententia Litvani dimissi, & à Polonis Legati ad Iagellonem cum eis missi sunt, vt eum ad coniugium Hedvigis & regnum Poloniæ vocarent, si præmemoratas conditiones iureiurando confirmaret. Aduenit interim Iagello Cracoviam, ac priusquam cum Hedvige matrimonium iniret, vniuerso cum comitatu suo ab Archiepiscopo Gnesnensi sacro fonte tinctus, & religioni Christianæ consecratus Vladislai nomen nactus est, atque ita matrimonium cum Regina solenni ritu contraxit, Litvaniamque omnem cum Samogitia, & ea parte Russiæ, quæ in ditione ipsius erat, Polo-

Poloniæ iure sempiterno adiunxit, atque in vnum corpus redegit. Quarto pòst die inunctus ab Archiepiscopo diadema regium suscepit, ac sequenti die iusiurandum à Cracoviensibus de more exegit. Mox ad pacandam maiorem Poloniam animum convertit, Grimaliorum atq; Nalencziorum familias capitalibus inter se odiis dissidentes cum Ducibus suis reconciliauit. Pòst in Litvaniam cum Regina religionis propagandæ se contulit, vbi conuentu Vilnæ habito de religione Christiana suscipienda, ac de exterminando idolorum cultu actum, ipso Rege maximam ei rei operam navante, gentem totam Baptismo initiandam curauit: Vilnæ basilicam ædificavit: septem præterea parœcias constituit ac ditavit. In Poloniam revertens Leopoli Petrum Moldaviæ Palatinum in fidem ac clientelam accepit, cùm ij ab Vngaris sub interregno defecissent. In Litvaniam deinde expeditione factâ Grodnum à Vitoldo interceptũ recuperauit, eumq; cum Cruciferis Litvaniam vastantem sæpius fudit, qui Regi pòst reconciliatus est. Vladislao pòst Duci Opolienſi quòd is ditiones regias vastaret, bellum intulit, eumque omnibus munitionibus in Polonia exsuit. Non multò post Regina filiam Elisabetham Bonifaciam primo partu enixa moritur, fœmina singulari pietate ac sanctimoniâ vitæ: à cuius obitu Rex vltro se regno abdicare, ac in Litvaniam redire volebat: sed hæc eum agitantem Proceres consolati confirmârunt, suadentes, vt Annam Vilhelmi Ciliæ Comitis filiam secundam vxorẽ duceret, quod Casimiri Regis neptis esset. Missi itaque ad Hermannum puellæ patruum oratores, sponsam anno sequenti Cracoviam adduxerunt, cum qua non multo post nuptiarum solennia celebrauit. Eodem anno Academia Cracovienſis ex testamento Hedvigis Reginæ, ac Regis liberalitate condita est. Rebus in Polonia tranquillatis, latrocinia quorundam vias publicas infestantium coërcuit: vetera pacta

pacta cum Litvanis renouauit: cum Vilhelmo Marchione Missniæ fœdus ac societatem pepigit: cum Cruciferis, qui Litvaniam adfligebant, recepto prius Svidrigellone in gratiam, ad Grunvaldum seu Tannebergam prælium atrox cõmisit, in quo hostium circiter quinquaginta millia cæsa ferũtur, in quibus ipse Ordinis Magister Ulricus à Iungingen, capta ad quatuordecim millia, signa militaria relata vnum & quinquaginta. Ex captiuis Casimirus Stetinensis & Conradus Olesnicienſis Duces, Vencesłaus itẽ Burggravius Dhonanus Boëmus, ac cæteri de Crucigerorum ordine in Poloniam missi, per arces asservandi distributi sunt. His ita gestis, pleraque Nobilitas Prussica cum Episcopis suis vltrò in potestatem Regis venit cum arcibus & oppidis non paucis. Aliquoties posthac bellum renovatum est inter Cruciferos ac Regem, à quo illi victi. Pace cum Cruciferis constitutâ certis conditionibus, Rex ad Ioannem Pontificem Romanũ oratores suos cum donis misit, eique obedientiam suam detulit. Sequenti anno, qui fuit millesimus quadringentesimus duodecimus, Rex cum Sigismundo Imperatore Rege Vngariæ Luboulæ conuentum egit, ibique pactis iureiurando mutuo firmatis in gratiam cum Sigismundo rediit, ac dein Budam profectus, ab eodem regiis muneribus affectus in Poloniam revertit, & Grodli Polonorum Litvanorumq; Conuentum habuit: ibi fœdera inter vtramque gentem reparata: concessumq; ius Nobilitatis Litvanis, iis duntaxat, qui Ecclesiæ Romanæ ritus servarent, honores verò & magistratus ne alienis ab Ecclesiæ Romanæ institutis mandarentur. Exin in Samogitiam profectus, gentem eam, quæ nondum idololatricum cultum penitus abdicârat, ad religionem Christianam conuertit, & Episcopum Mednicis instituit. Inde pòst anni sequentis initium propter multas Poloniæ iniurias illatas expeditionem in Cruciferos nouam indixit, & in eos exercitum

tum duxit, oppida atque castella multa partim vi expugnauit, partim in deditionem accepit. Sed interim aduenit Legatus à Pontifice, qui à Rege impetrat, vt duorum annorum induciis constitutis Concilii Constantiensis iudicio causam suam cum Cruciferis permitteret. Mortuâ interim Annâ vxore, Rex tertiam duxit Elisabetham Pileciam viduam effœtam, aduersantibus nonnullis Proceribus, eò quòd disparem sibi junxisset. Postea comitia Lencziciæ celebravit ad vigesimam quintam Iulii diem, ante quorum diem illa mortua est publicâ omnium Ordinum lætitiâ. Inconsulto dein Senatu Polonico quartas nuptias cum Zonca Russâ, (cui pòst Sophiæ nomen inditum) Andreæ Kiovienſis Ducis filia celebrauit, quod matrimonium Vitoldus conciliauit. Bellum pòst Regi cum Cruciferis præter omnem opinionem exarsit, Sigismundo Cæsare ad id clam incitante. Itaque Rex cum exercitu Cruciferorum regionem ingressus, agros eorum longè lateque populatus est, & hostes ipsos aliquot cladibus affecit. Anno dein millesimo quadringentesimo vicesimoquarto natus est Regi filius, ac post quartum mensem religioni Christianæ dicatus Vladislai nomen accepit. Sequenti verò ad Pentecosten conventus Lencziciæ habitus est, in quo Rex successionem filio anno superiori nato tentavit, sed frustrà, quòd is promissa anni præteriti comitiis Brestensibus facta non præstaret, promiserat autem confirmaturum & aucturum se Nobilitatis libertatem ac prærogativas. Interim Cæsar Regi Vitoldum infensum reddere constituit, societatemque cum eo iniit, ac diadema ipsi regium pollicitus est, vt eum cum Rege ac Polonis committeret. Quod cùm significaret Regi Vitoldus, noluit assentiri Rex, intelligens, quorsum Cæsaris ac Vitoldi conatus, & noua cum Cruciferis fœdera spectarent, anno

anno millesimo quadringentesimo tricesimo comitia Iedlnam indixit, vt Polonorum voluntates sibi liberisque suis obstringeret, regnique successionem alteri de filiis stabiliret, veteres priorum Regum donationes atque immunitates confirmaret, permultaq; ordini equestri, nonnulla Ecclesiastico, pauca plebi de pensionibus atque oneribus remisit.

Cùm itaque Vitoldus voti se compotem fieri posse desperaret, stratagemate rem tentat, missoq; ad Regem Legato, iam se omnem de regno cogitationem deposuisse ostendit, in Litvaniam Regem ad venationem inuitat. Quò cùm Rex venisset, instabat Vitoldus, ne sibi diadema inuideret. Quod cùm Rex admittere se non posse reclamante Senatu Polonico prætenderet, simultas creuit. Interim in morbum incidit Vitoldus, ac breui obiit octogenario maior. Mortuo Vitoldo, Rex ad Suidrigellonem fratrem summam rei deferre volebat. Quod dum præsensérunt Litvani, certatim ad eum omnes concurrere, studiaque ei sua probare velle. Sed eo ob impotentiam animi reiecto Sigismundus Vitoldi frater Starodubiensium Dux Rege consentiente Litvaniæ Princeps creatus est.

Comitia demum Cracoviam indicta, ac Boêmorum auxiliis contra Crucigeros vtendum decretum est, exercitus Duce Michaële Michalovio Castellano Cracovienſi constituto: qui à Rege jussus obsidionibus abstinere, mandati immemor Choiniciam menses duos obsedit, sed nullo operæ pretio. Anno deinde millesimo quadringentesimo tricesimo quarto Rex Corcini comitia habuit, in quibus Legati ad Concilium Basilienſe designati sunt ad obtrectationes & criminationes, quæ aduersus Regem iactabantur, Cæsaris ac Cruciferorum refellendas, ac de vniuersa causa cum Cruciferis disceptanda.

Conuentu soluto, Rex Cracoviam contendit, vt inde in Russiam proficisceretur, jusiurandum à Stephano Valachiæ Palatino promissum coràm accepturus, dumq; Grodeci est, inter prandendum febri correptus, ac decimoseptimo, postquam ægrotare cœperat, die exstinctus est pridie Calendarum Iunii anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, cùm rerum potitus esset annos quadraginta octo, ac menses ferè tres, anno ætatis supra octogesimum, Princeps sago togâque clarissimus. Fuit staturâ mediocri, facie oblongâ, macrâ, & ad mentum contractâ: capite calvo, parvo, ac fastigiato, oculis paruis, nigris, atque instabilibus, cervice longâ, voce gravi & citâ. Corpus eius magnâ pompâ Cracoviam deportatum, & intra mensem in basilica Cracovienſi funus celebratum.

ANNO CHR. 1434.

VLADISLAVS IAGELLONIDES.

ANNO CHR. 1434.

POST mortem VLADISLAI IAGELLONIS filius eius cognominis natu maior Rex Poloniæ Posnaniæ renuntiatur atque coronatur. Initio regni Russica & Podolica Nobilitas cum Polonica iure æquo exæquatur, cum Silesiis pax redintegratur, Svidrigello cum auxiliaribus Cruciferis Livonibus profligatur: Bratislavia & Cremenecia Regi redduntur: fœdus cum Vngaris & Cruciferis Prussicis ac Livonicis Brestæ in Cuiavia ictum est. Æstatis initio Russi ac Podolii eladem insignem à Tartaris acceperunt, omni penè Nobilitate Podolicâ trucidatâ. Alberto Cęsare Vngariæ Rege mortuo, regnum cum ipsius Reginæ viduæ coniugio, tametsi prægnans ea tunc erat, Vladislao Regi à Proceribus Vnga-



Vngariæ defertur, coronaturque Belgradi ab iis, qui etiam in verba eius jurârunt: verùm mox ab eo deficientes Ladislaum posthumum Alberti filium nuper natum coronant. Contra quos Vladislaus exercitum ducens victoriam obtinet. Pacem deinde cum Regina init, & Amuratis Turcarum Tyranni exercitum Duce Ioanne Huniade tribus prœliis vincit ac profligat, quousque ad Macedoniæ ac Thraciæ fines penetrat, arcesque in Rascia ab hostibus occupatas recipit. Indixit post Ungaris comitia Budam, vbi bellum in

Turcam ſummo omnium Ordinum conſenſu decernitur: dumque id comparatur, de pace à Turcis agi cœptum eſt. Szegedinum itaque Rex profectus Legatos Amuratis dona inſignia adferentes audiuit, pacemq; petentibus ſiue adeò inducias decem annorum his legibus dedit, vt certas arces, totamque Raſciam, & eam Albaniæ partem, quæ in ditione Deſpotæ Raſciæ fuiſſet, ac duos filios Deſpotæ captiuos redderet. Interim allatæ ſunt literæ à Franciſco Cardinali Veneto claſſis Pontificiæ Præfecto, itemque à Ioanne Palæologo Imperatore Conſtantinopolitano, quibus Rex monetur, vt expeditionem maturet, ne occaſionem commodiſſimam liberandam Græciæ ac vindicandæ Europæ è manibus elabi pateretur. Pollicebantur autem ſe præſtaturos, ne Turcæ ex Aſia in Europam rurſus traijcerent: Palæologus verò terreſtres etiam copias ac belli ſocietatem promittebat. Aderat & Iulianus Cardinalis, qui Regem nomine Pontificis ad bellum inſtigare, belli præmia longè ampliora quàm pacis in immenſum attollere, pacem neceſſitate expreſſam, quæ diuturna futura non eſſet, labefactare, ac temporis causâ ſimulatam dicere: argumento iam eſſe, quod exacto iam tempore non implerentur promiſſa. Quòd ſi quâ religione Rex teneatur, ne iuſiurandum barbaris datum violet, illo ſe metu Pontificis autoritate eum prorſus liberare. Hæc inculcando perpulit optimum Principem, vt nouo ſacramento ſe cum Proceribus ad proſequendum bellum Turcicum obſtringeret. Decretum itaque communi Ungarorum conſilio bellum, mittunt auxilia Poloni. Szegedino poſtea Rex caſtra mouit, non ſatis alacer, neque ita firmâ ſpe animadvertens, quòd longè minores copias, quàm pro belli magnitudine, duceret: multi enim cùm ex Vngaris, tum ex aliis orbis Chriſtiani nationibus non advenerant. Interim Amurates cum validiſſimo ex Aſia exercitu accurrit, & ad Varnam

nam Bulgariæ prælium atrox cum Vladislao Rege commiſit: in quo Rex fuſo fugatoq; iam omni equitatu Turcico in Ianiczerorum phalangem temerè cum paucis invectus, inter hoſtes confertiſſimos pugnans, ad extremum ſub veſperam equo à Ianiczaris confoſſo occubuit, Princeps longiore vitâ digniſsimus. Accidit clades hæc anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto, regni verò Vladislai in Polonia vndecimo, in Vngaria quinto, cùm is viceſimum ætatis annum vix dum exceſſiſſet. Fuit ſtaturâ procerâ, facie fuſcâ, capillo nigro, laboris inediæq; patiens, religionis ac iuſtitiæ cultor eximius, probitate & clementiâ etiam in hoſtes ſingulari: animi verò magnitudine tantâ, vt nil humile cogitaret: in quo denique ſumma fuerunt omnia, quæ magnos Principes decent. ANNO CHR. 1444.

CASI-

CASIMIRVS IAGELLONIDES.

ANNO CHR. 1447.

POSTQVAM de clade Vladislai Regis inauditum in Polonia fuit, CASIMIRVS eius frater Magnus Litvaniæ Dux à Proceribus regni Poloniæ ad suscipiendum regnum ex Litvania accersitus est. Qui diu cunctatus seu potiùs tergiversatus, cùm videret, ad Boleslaum Masoviæ Ducem regnum deferri, pœnitudine ductus in Poloniam breui se venturum ad paternum fraternumque regnum acceptandum recepit. Itaq; anno millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo Litvanorum ac Russorum comitatu stipatus Cracoviam mense Iunio venit, ac die sequenti ritu solenni coronatus est. Peractis ceremoniis, in maiorem Poloniam matre comitante profectus est. Posnaniam vbi venit, tota incendio fortuito conflagrauit. Lublinum quoq;, Znena, Siradia, Bochnia, aliaque oppida eodem anno arserunt. Comitia deinde Petricoviæ mense Augusto habita, in quibus leges quasdam novus Rex condidit, pacta cum Cruciferis approbauit, ac in Litvaniam secessit: quo absente tota Polonia frequentissimis latrociniis infestata est. Sequenti anno comitia cum Litvanis Lublini acta sunt, in quibus postulârunt Litvani, vt sibi æquo iure fœdera cum Polonis essent, vtq; caput illud, quo Litvania Poloniæ adiungitur, de fœdere tolleretur: Podolia item, Olescum, Lopatinum, & Grodlum territoria, quæ præter ius sibi ademta asseverabant, redderentur. Ad quæ à Polonis responsum: nullam commodiorem viam ad retinendam concordiam esse, quàm vt Litvani Russiq; omnes abrogato Principatu suo Polonorum regno atque nomine censeri se deinceps vellent. Quod ad fœdera, rectè ea à Vladislao Iagellone & Vitoldo constituta, nec esse quod querantur fœderum iniquitatẽ, quibus Nobilitatem, libertatem, & multa præclara sunt adepti. Podoliam verò à Casi-



Casimiro Magno exterminatis Tartaris occupatam, & Camenecîa, Chocimo, Cieciuno, Miedzibozo arcibus & quibusdam aliis castellis munitam, à Ludovico posthac possessam ad Iagellonem quoque vnà cum regno peruenisse: ab eo Svidrigelloni fratri, ac tandem Vitoldo ad tempus concessam; morte autem Vitoldi ad ius Polonorum rediisse. Rex dein in Russiam ad sedandos motus Moldavicos profectus est, Stephano & Elia Palatinis vitâ defunctis: vix in Litvaniam venerat, cùm Tartari in Podoliam populabundi se diffude-

fuderant,ferro igniq; omnia vastantes. Mense demum Decembri ad Petricovienſia comitia revertit , in quibus nonnulla ſalutaria ſtatuebantur : ſed ea mox irrita fuêre , cùm Rex Proceribus iuſiurandum ſolenne , quòd ſecundùm leges regnum adminiſtraturus eſſet , dare , & Regum acta beneficiaque quævis conceſſa rata habere recuſaret. Sequenti anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo conuentum Rex Cracoviæ cum minoribus Polonis egit de inquirendis & cohibendis furtis atque latrociniis. In Valachia Petro Palatino mortuo Bogdanus quidam , qui ſe nothum Alexandri Palatini filium aſſerebat,dominatum in Valachia invaſit,qui Alexandrum eiecit. Cõtra quem Caſimirus Rex Alexandrum iterum reducere Odrovanzo & Konieczpolio ducibus. Bogdanus imparem ſe animadvertens in nemora ſe abdidit, ac pacem à Polonis eâ lege impetrauit,vt Alexandri nomine , donec is ad decimumquintum annum perveniret , Valachiæ præeſſet. Revertentes Polonos Bogdanus circumventos aggreditur : cui illi fortiter reſiſtentes inſperatâ cruentâq; potiuntur victoriâ. Non multò pòſt Tartari magno impetu in Podoliam atq; Ruſſiam populabundi excurrerunt , abactâq; ingenti hominum ac iumentorum prædâ,incolumes ad ſuos redierunt. Anno ſubſecuto Svidrigello Dux moriens Luſcum Litvanis tradendum mandauit,immemor & illorum maleficii,& Polonorum beneficii. Magni inde motus in Polonia enati , fremabantq; vulgò in Regem tum ob Luſcum interverſum , tum ob Epiſcopam Premislienſem homini externo delatam. Eodem anno Tartari iterum in Podoliam irruptionem fecerunt , & cùm ſe recedere ſimulâſſent,reverſi quater eos,qui è latebris ad meſſem prodierunt,circumventos in ſervitutem abduxerunt. Sequentis anni initio idem Tartari in Lucenſem & Oleſcenſem oram

ram excurſionem fecerunt, & ad novem captivorum millia ingentemq; aliam prædam abegerunt : iterumque ad Paſcha aucti numero Treboulienſem agrum depopulati ſunt , quos inſecuti vicini præfecti magnâ ſtrage profligârunt , prædamque omnem excuſſerunt : reliquias verò fugâ diſſipatas Braslavienſes exceperunt , eaſq; partim trucidârunt , partim captivas Regi miſerunt. Menſe Iulio Rex Parczoviæ Polonorum Litvanorumq; ſimul conventum habuit , ad quem Litvani legationem misêre , quæ viſitatam illam de corrigendis fœderibus, reddendâq; Podoliâ ac Volyniâ cantilenam occineret, ſed fruſtrà. Parczoviâ ad alia comitia Petricoviam ad natalem Ioannis Baptiſtæ indicta,itum eſt : ibi à Rege,diplomate regio prolato,poſtulatum, vt tandem iuſiurandum daret : quod facturum ſe, vti Regem modò Polonorum,non etiam vt Litvanorum Principem,reſpondit. Captioſum hoc iuſiurandum viſum. Itaque Proceres inſtantes tandem iuſiurandum importunis poſtulatis à Rege extorſerunt. Circa hæc tempora in Pruſſia motus à Nobilitate ac Ciuitatibus contra Crucigeros exorti ſunt, qui magnitudine iniuriarum moti conſpiratione inter ſe factâ pleraſque arces & oppida in ſuam poteſtatem redegerunt , miſſaque ad Regem legatione ea omnia ſeſeque & omnem Pruſſiam ei dediderunt. In ſequenti anno menſe Februario Rex vxorem ducit Eliſabetham Auſtriacam Alberti Cæſaris filiam , ex qua pòſt ei primogenitus Vladislaus. Finitis nuptiis Prutenos in deditionem accepit : cum quibus comitiis Grudenti habitis , tributum certa in capita conſtitutum , vnde emerita ſtipendia mercenariis Bohemis,quos primo motu Pruteni acciverant, exſolverentur.

Pugnatũ eſt poſtmodùm Cruciferis ad Choiniciam , vbi imperitiâ ducum ſuorũ Poloni fuſi. Proſecutus eſt ſequenti anno bellũ in Pruſſia Rex,quod XIII. annis variâ fortunâ cũ

Cruciferis gestũ est: in quo Poloni tandem superiores summas in angustias Cruciferos redegerunt, atque ad pacem petendam compulerunt, quæ tandem anno Christi millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto mense Octobri confecta est. In Padoliam deinde Tartari improvisò impressionem fecêre, in quos Podoliæ Præfectus, & Ioannes Laszczius cùm impetum fecissent, primumq; agmen fudissent, à Barbaris ad internecionem profligati sunt. Eodem anno Regina filium Casimirum Cracovię peperit quinto Nonis Octobris, quo Legati Georgii Podebradii noui Boëmorum Regis post Ladislaum defunctum advenerunt, fœdus petentes, & auxilia contra Crucigeros, regniq; successionem Casimiro Regi pollicentes. Quibus responsum: Regem amicitiam atq; fœdus cum Boëmis semper coluisse: cupere etiam, vt mutuum ab eis fiat. Sub finem anni millesimi quadringentesimi quinquagesimi noni sexto Calendarum Ianuarii Regi filius Ioannes Albertus, & anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo Nonis sextilis Alexãder quartus Regis filius nati sunt. Sequenti anno Glogoviã Rex ivit, vbi fœdus cum Boëmorũ Rege Georgio cõfirmatum. Anno dehinc millesimo quadringentesimo sexagesimoseptimo ipsis Calendis Ianuarii auctus est Rex filio Sigismundo pacatâ Prussiâ bono quodam omine conficiendarum reliquiarum belli Prussici, quod Cruciferi póst renovârunt. Sequenti verò anno quinto Calendarum Maii iterum natus est filius Regi sextus, cui Friderici nomen inditum. Mense Ianuario sub finem Rex in Russiam contendit, ac sesquimensem Leopoli exegit, Stephanum Valachiæ Palatinum exspectans, vt ab eo fidelitatis iuramentum ex pacto acciperet: verùm ille multa causatus non venit, iusiurandum tamen Palatino Podoliæ & Succamerario Premislienſi Legatis Regiis dedit. Per ea tempora Tartari Zavolgenses Maniaco Duce in Litvaniam, Podoliam,

liam, ac Valachiam sese infuderunt, Volyniamque impunè depopulati ad decem hominum millia ablegerũt: ex Podolia à Polonis repelluntur, & in Valachia à Stephano Palatino profligantur. Comitia deinde Petricoviæ Rex habuit, quæ in quadragesimum diem extracta erant; ad ea venit Henricus Plavenius Cruciferorum Magister recens creatus, ac fidelitatis iusiurandum Regi solenni ritu dedit, breviq; póst subitâ morte exstinctus est. Anni sequentis principio Rex Ploscum, Vitepscum, & Smolenscum (quæ totos sedecim annos non viserat) Litvanis proceribus comitantibus adiit, constitutisq; ibi rebus primo vere in Poloniam revertit, ac mense Octobri Petricoviam ad comitia ivit, ex quibus ad Pontificem Romanum Legati missi, vt confirmationem pacis Prussicæ, ac regnum Boëmiæ Vladislao Regis filio peterent. Legati etiam in Boëmiam ad Regem Georgium missi, qui eum hortarentur, vt de regni sui successore promissis staret. Sed illis vix Boëmiâ egressis, Georgius Rex moritur. Póst cuius mortem Vladislaus Casimiri filius à Boëmis Rex renuntiatur, reclamantibus iis, qui Matthiæ Vngariæ Regi fauebant. Haud multò póst etiam Vngari Casimirum alterum Regis filium sibi dari petiêrunt, tyrannidis Matthiæ pertæsi, quem pater cum non contemnendo exercitu in Vngariam mittit. Verùm Vngari partim terrore, partim promissis reuocati fidẽ mutârunt, ac deserto Casimiro ad Matthiam transiêrunt. Facta est deinde pax siue induciæ inter Reges annuæ. Anno póst millesimum quadringentesimum septuagesimo tertio edixit comitia Petricoviam Rex, sed de minoribus Polonis nemo ferè Procerũ adfuit: offensi enim erant honorum distributione superioribus comitiis iniquiùs factâ. Hoc etiam anno æstu & ardore vsque adeò vexata est Polonia, vt aluei fluminum plerorumq; aresc̃erent: Vistula ad Torunium esset vadabilis, silvæ, saltusque radicitus arderent,

rent, segetes squalerent, pecudes & iumenta limo cum herba vorato intestinis oblitis interirent. Anno verò consequenti Matthias Vngariæ Rex exercitum sex millium hominum in submontanam Poloniæ oram immisit, qui longè lateq; populationes faciebat. Paucis pòst Vngaro cum Polono ac Boëmo triennes inducię factæ sunt, sed eæ non fuerunt diuturnæ, Matthias enim Moraviam ac Silesiam infestare non cessabat. Itaque Casimirus Rex ad bellum se parat, ac numerosissimum aduersus Matthiam exercitum ducens in Silesiam ingreditur, cui se Vladislaus filius Bohemiæ Rex adiungit, viginti millia pugnatorum in exercitu habens: verùm illi desides atque inertes nil laude dignum tantis copiis præstiterunt. Induciæ tamen triginta mensium inter Reges cõstitutæ, & captiui, munitionesque interceptæ vtrinque redditæ. Finito bello venerunt Legati à Ludovico Bavarię Duce, qui petebant eius filio Georgiò Hedvigin Regis filiam in matrimonium. In sequenti anno millesimo quadringentesimo septuagèsimo quinto æstate locustarũ vis ingens Lenczicienſem oram atq; Masoviam pervagata, non modò segetes ac prata, sed etiam arborum frondes depasta est. Mense Octobri Rex cum Regina Hedvigin filiam natu maximam Georgio Bavariæ Duci desponsatam Posnaniam deduxit, & in Germaniam ad sponsum misit. Anno millesimo quadringentesimo septuagesimo nono Rex in Litvaniam profectus est, quæ eius præsentiã vehementer expetebat, Ioannes enim Moscorum Princeps subacto Novogrodo magno, & cõplurib̃ arcibus atque castellis reliquæ Russiæ inhiabat, consiliis quietis cum Moscorum Tyranno rem composuit. Quo etiã tempore Stephanum Moldavię Palatinum bellatorem acerrimum in fidẽ clientelamq; suam accepit. Anno pòst millesimo quadringentesimo octogesimo nono Rex bellum Tartaricũ per Ioannem Albertum filium gessit, quòd illi crebris incur-

incursionibus Russiam atque Podoliam infestabant. Eos Ioannes Albertus bipartito agmine revertentes magno animo adortus profligauit, prædam atque captiuos recuperauit: ad cæteros deinde, qui insequebantur, contendit, & in inopinatos derepente impetum fecit, atque in eorum cæde pecudum in morem ad lassitudinem vsq; versatus est. Per ea tempora Rex fœdus icit cum Bajazete Turcarum Imperatore per Nicolaum Firlejum hac lege, ne quid alter alterius ditionibus incommodaret. Mortuus est eodem anno Matthias Vngariæ Rex, cuius mors noui belli inter Vladislaum Bohemiæ Regem & Ioannem Albertum fratres, Casimiri Regis filios, causa fuit, dum Proceres in diuersa studia sciſſi sunt, dum pars ad Ioannem Albertum, pars ad Vladislaum Bohemiæ Regem regnum detulit, qui accitus à suis celeriter Budam regni caput occupauit, fratremque regno cedere patre frustrà succensente coegit: Cum quo pacem his conditionibus fecit, vt Vngariam deinceps missam faceret: acciperet autem in Silesia certa oppida, quæ omnia teneret vnà cum liberis suis, si quos habiturus esset, maribus, tantisper, quoad Rex factus non esset. Quòd si Vladislaus nullis liberis relictis decederet, Ioannes Albertus post eum apud Vngaros regnaret. Interim Casimirus Rex morbo correptus, eoq; invalescente, vbi supremum vitæ diem sibi imminere sensit, testamentum condidit, quo Vladislaum filium primogenitum exhæredauit: deinde sacrâ Eucharistiâ acceptâ Mense Iunio animam DEO reddidit, anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, cùm regnum gubernâsset annos quadraginta quinque, explêsset sexaginta quatuor. ANNO CHR. 1492.

IOAN-

IOANNES ALBERTVS.

ANNO CHR. 1492.

POST CASIMIRI Regis obitum IOANNES ALBERTVS filius Rex renuntiatur, ac Cracoviæ de more ab Archiepiscopo Gnesnensi solenniter coronatus est. Cracoviæ paucos dies commoratus, maiorem Poloniam obiuit: quò ad eum venerunt Venetorum & Baiazetis Turcarum Imperatoris Legati, regnum ei gratulantes. Ac Veneti præter ea, quibus Baiazetes Albaniâ per illud ipsum tempus devastatâ è propinquo imminebat, ad bellum in Turcas suscipiendum cohortabantur: Baiazetes verò amplis donis oblatis pacem & amicitiam ei deferebat, siue quòd Polonorum vires eo bello, quod cum Moldavis gessit, exploratas metuebat: siue quòd providebat, ne pluribus simul bellis distineretur. Cum quo Rex novus trium annorum inducias pactus est, juramento vtrinque intercedente. Cum Vladislao deinde fratre Vngariæ Rege Liblij in Scepusio conventum egit, vbi publicè redintegrata est inter fratres benevolentia, fœdusque inter Vngaros ac Polonos. Secretò verò actum dicitur inter solos fratres de ratione belli gerendi contra Turcas, ac de eijciendo Stephano Valachiæ Palatino, ac Sigismundo fratre in eius locum surrogando. Soluto conuentu Cracoviam Ioannes Albertus Rex se recipit, ibiq; legationem Turcicam alteram, quæ tunc oblatas inducias approbatura advenerat, audiuit. Mense Septembri Tartari Tauricani in Podoliam ac Volyniam irruptionem fecerunt, ferro flammâq; omnia prosternentes, ac Polonos, quos ad reprimendos Tartaros Rex misit, ad Visnoveciam cædunt funduntq;. Anno millesimo quadringentesimo nonagesimoquinto Ianusius Masovius Plocensium Dux cælebs obiit, secundùm quem Rex tractum Plocensem iure feudi ad se devolutum regno adje-



adiecit. Sequenti verò anno Rex Barbaram sororem Georgio Saxoniæ Duci elocavit, ac transactionem cum Conrado Masoviæ Duce in comitiis Petricovienſibus fecit. Coëgit post exercitum validissimum in Turcam, vt fama ferebat, eum ducturus. Verùm cum eo Moldaviam ingressus est, metropolim ipsius petens, quam præsidio Stephani firmatam reperit. Eam itaq; oppugnat, ac obsidionem ducit non sine suorum incommodo. Tandem Vladislao Rege deprecatore ac pacificatore induciæ inter illos constitutæ sunt, per quas liberiùs de pace tractaretur. Induciis publicatis confestim

obsidio soluta, iterque in diem certum pronuntiatum. Cæterùm cùm Rex quartis castris ad Bucoviam peruenisset, vbi silua erat fagina, densa, duûm milliarium, angustam & præruptam habens inter aspera saxa montesq; viam : eam majores Poloni sine impedimento vllo emensi sunt. Alterâ autem die Rex præmissis bombardis cum aulica cohorte subsecutus est : pone sequebantur minores Poloni & Russi incompositi, & quasi in pacato securi. Ad medium syluæ impedimenta regia peruenerant, cùm ecce Valachi agrestes pedites vndiq; ex insidiis coorti impetum in ea faciunt, currus diripiunt, & facilè impulsis arboribus in hoc iam antè succisis, viam impediunt, ne progredi extrema agmina, néve regredi prima ad ferendam suis opem possent. Nec mora, ipse Stephanus improuisus adest, ac Polonos inopinâ re perturbatos circumvenit, cladeq; ingenti affecit. Multi de Nobilitate desiderati, partim cæsi, partim capti, quos Stephanus, quotquot in potestatem suam redegerat, omnes in conspectu suo trucidari iussit. Rex Cracoviam reversus, quasi rem benè gessisset, conviviis, compotationibus ac choreis impensiùs indulsit. Interim Stephanus acceptam à Polonis iniuriã, bellumq; sibi immeritò illatum vlcisci satagens, primo vere sequentis anni millesimi quadringentesimi nonagesimi octaui cum expeditis suorum copiis Podoliam ac Russiam invasit, ingentiq; prædâ abactâ supra centum hominum millia in seruitutem abduxit. Nec ita longè pòst mense Novembri septuaginta Turcarum millia per Valachiam in Russiam se effuderunt, omnem eam oram, quæ ad Nestrum, ferro igniq; populantes ac prædas agentes : neque progrediendi vastandique modum Turcæ vllum fecissent, nisi cœlitus repressi, atq; oppressi essent. Anno sequenti fœdus inter Vngariæ & Ioannem Albertũ Poloniæ Reges, & Alexandrum Magnum Litvaniæ Ducem per Legatos ictum est. Cum Stephano quoq;

quoq; Moldaviæ Palatino, ac filio eius Bogdano pax etiam tunc constituta, fœdusq; ictum, cum Ioanne quoq; Moscorum Principe pax, amicitia, & societas iuncta. Paulò pòst ipse etiam Baiazetes Turcarum Tyrannus, cùm de confœderatione tot ac tantorum Principum cognouisset, Legationem ad Ioannem Albertum Regem de pace vel induciis prorogandis misit, qui propter domesticas difficultates quasdam, ac præsertim ærarii inopiam sequenti demum anno inducias illi quinquennes concessit. Sub messis tempus frugum hybernarum Tartari per Volyniam, Russiam, ac Poloniam circum Belsum, Crasnistavum, Crasnicũ, Turobizum, ac Lublinum ad Vistulam vsque immaniter omnia vastârunt. Nec ita magno interuallo iterum Tartari prædâ depositâ Mense Septembri reuersi Podoliam ac Russiam depopulati sunt : contra quos Rex bis profectus, nullum operæ pretium fecit. Nec Litvania eo anno meliori fortuna vsa est. Ioannes enim Moscoviæ Princeps Litvaniam ingressus, aliquot territoria in potestatem suam redegit. Anno millesimo quingentesimo primo, mense Aprili, Rex in Prussiam contendit, à Friderico Cruciferorum Magistro iusiurandũ exacturus. Dum autem Magister à Rege euocatus cunctatur, Rex interim vitam apoplexiâ finivit cœlebs, cùm ferè nouem annos regnâsset, excessisset quadraginta duos. Cuius corpus Cracoviam deportatum in basilica arcis honorificè sepultum est, matre funus prosequente, quæ marmoreum filio monumentum ponendum curauit. Fuit Princeps staturâ proceriore, colore subfusco, capillo nigro ac raro, magni ingenii, literarum ac præsertim historiarum studiosus, liberalitate erga militares homines, & magnitudine animi non vulgari.

ANNO CHR. 1501.

ALEXANDER.

ANNO CHR. 1502.

IOANNI ALBERTO defuncto succeſſit in regno ALEXANDER quartus Caſimiri Regis filius, magnus Litvaniæ Dux, qui à fratre Friderico Cardinale, & ab Archiepiſcopo Gneſnenſi in baſilica Cracovienſi ceremoniâ ſolenni inunctus & coronatus eſt. Venit & ſequentis anni menſe Februario ex Litvania Helena Regina, Ioannis Moſcorum Principis filia, quam anno milleſimo quingenteſimo duxerat: verùm illi diadema de more impoſitum non eſt, quòd Græcæ religioni addicta eſſet. In Litvaniam dehinc Rex relictâ regni gubernatione fratri Friderico Cardinali abiit, acceperat enim, Moſcum contra Litvanos bellum reparare. Sub id tempus Tartari Tauricani Podoliã, Ruſſiam, ac Sendomirienſem tractum populabundi pervagati, & oppidis primariis in Ruſsia direptis exuſtisq; prædâ omnis generis onuſti domum reverſionẽ fecerunt. Æſtate anni ſubſequentis iterum iidem Tartari Podoliam ac Ruſsiam hoſtili incurſione vexârunt. Stephanus verò Valachiæ Palatinus immiſſo in Ruſsiam finitimam exercitu tractum omnem inter Neſtrum fluvium & montes Sarmaticos, qui Pocucia vulgò vocatur, nemine reſiſtente ſubegit. Cõtra quem Alexander Rex vere proximo anni milleſimi quingenteſimi quarti exercitum ex mercenario milite cõſcriptum in Ruſsiam miſit, à quo Moldavia infeſtata eſt adeò, vt Valachus è munitionibus Pocucienſibus præſidia deducere coactus ſit, præſertim cùm graviſsimo pedum dolore affligeretur, quo tandem confectus obiit vir animi magnitudine, rei militaris peritiâ, ac rebus contra Turcas, Polonos, Vngaros, ac Tartaros feliciter geſtis memorabilis. Cui Bogdanus filius Luſcus in Principatu ſurrogatus eſt. Sequentis anni initio milleſimo quingente-



genteſimo quinto Rex Breſtam, quò Litvanis Conventum indixerat, profectus eſt, vt eius gentis res turbatas componeret. Nec multò pòſt paralyſi tactus Cracoviam aſportatus eſt, quò ſubſecuta eſt eum legatio Bogdani Valachiæ Palatini, quâ ille coniugium Eliſabethæ ſororis regiæ poſtulabat. Sed abnuit puella barbari hominis cõnubium, & Legatis ambiguum reſponſum datum. Moritur interim Eliſabetha Regina, Caſimiri vidua, eximiæ prolis mater. Rex verò morbo liberatus menſe Octobri Lublinum profectus eſt, &

anni sequentis principio comitia ibi habuit. Ibi certatum est inter Proceres Ecclesiastici atque Politici Ordinis de loco in Senatu ac de expeditionibus bellicis. Post longam contentionem Rex controuersiam tandem ita diremit, vt Episcopis prærogatiuæ suæ manerent. Constitutum etiam ibidem, vt vsitatum tributum ab agrestibus & oppidanis in stipendia militum, qui ad fines Russiæ ac Podoliæ tutandos, ac depellendum Pocuciâ Bogdanum mittebantur, conferretur. Nam Bogdanus Pocuciam invaserat, ac sui iuris fecerat. Itaque quatuor mercënariorum militum millia comitiorum decreto in Russiam missa, Pocuciam sub signis ingressa sunt: profligatisque Valachis præsidiariis territorium omne recuperârunt. Finitum deinceps bellum icto fœdere. Mense Maio quinque millia Tartarorum è Taurica eruperunt, Podoliam, Russiam, ac Litvaniam longè lateque vastârunt, præter aliam prædam opimam centum circiter hominum millia in servitutem abegerunt: plurimos vicos atque pagos exusserunt, & in imbecilliorum senum ac puerorum multitudinem desæviêrunt. Tam felici successu illecti distractâ prædâ, quam retulerant, auctis viribus, iterum mense Augusto in Litvaniam irruperunt: verùm Michael Glinscius Dux Russus non amplius septem equitum millibus coactis, ac præsidio trecentorum equitum Polonorum ex aulico Regis comitatu adiutus magnâ strage Barbaros ad Clescum concidit, ita vt viginti eorum millia cæsa, totidem equi capti fuisse perhibeantur. Iam Rex desperatâ salute, testamentoq; condito, animam agebat, cùm ei de suorum victoria indicium factum est. Sublatis igitur in cœlum manibus & oculis lachrymantibus tacitus amisso iam linguæ vsu gratias agere DEO visus est, ac protinus exspiravit die decimanonâ Augusti, quadragesimum sextum ætatis annum agens, cùm non integrum quinquennium in Polonia regnâsset. Cuius obitum paucis

ANNO CHR. 1506.

paucis ante diebus ad Septentriones conspectus Cometes portendit. Princeps fuit staturâ mediocri, facie oblongâ, capillo subnigro, viribus corporis ac lacertis validis: sed ingenio hebetiore, atque ob id taciturnus. Vilnæ in Basilicæ delubro iuxta Casimirum fratrem sepultus anno post millesimum quingentesimum sexto.

SIGISMVNDVS I.



FVNE-

ANNO CHR. 1502.

FVNERE ALEXANDRI Regis peracto, SIGISMVNDVS eius frater Casimiri Regis filius quintus Glogoviæ & Opaviæ Dux, non multò antè Magnus Litvaniæ Dux designatus, Petricoviæ in comitiis omnium votis Rex Poloniæ electus, & Cracoviæ ab Archiepiscopo Gnesnensi vicesimâ quartâ Ianuarii anni millesimi quingentesimi septimi inauguratus est. Postero die cum ornamentis regalibus eques in vrbem descendit, jusiurandumq; à Cracoviensibus ac claues vrbis accepit. Coronatione finitâ, quia Turcę, Tartari, ac Valachi regno imminebant, comitia Cracoviæ indixit, in quibus de regni defensione cum primis agitatum. Eo tempore Basilius Moscorum Princeps in Litvaniam irrupit, ac Regi bellum denuntiavit. Cui Rex coactis vndiq; copiis obviam ire: Moscus verò eas adventare vbi cognouit, militem nõ viso hoste in Moscoviam reduxit. Anno dehinc proximo Rex comitiis Cracoviæ convocatis advenit, ibique complures de regno defendendo dies consultatum. Mense Iulio Tartari in Volyniam irruperunt, quos Ioannes Camienecius Castellanus Leopolienſis fudit. Interim Michaël Glinscius ad Moscorum tyrannum defecit, Moscus verò sexaginta equitum millium exercitu contracto Litvaniam invasit. Contra quem Rex, Nicolao Firleio Palatino Lublinensi Duce in Litvaniam præmisso, ipse paulò pòst lectissimo cum aulicorum equitatu subsecutus, cum Moscis ad Orsam citra Borysthenem feliciter pugnavit. Quo successu suorum cognito, Moscus inducias à Rege petit. Sub illud tempus Tartarorum eruptio in Litvaniam facta, quorum non contemnendum numerum ad Sluscum Rex duce Constantino Ostrogio penè cæcidit. Insequenti anno Petricoviam Rex ad conventum contendit, in quo rebus regni ad defensionem ritè constitutis Cracoviam vere primo venit, vbi de regni consorte consilia agitata. Non multò pòst Bogdanus Valachiæ Palatinus Russiam vastat, in quem Rex maximo belli apparatu profectus est, exercitus duce Nicolao Camienecio Palatino Cracovienſi constituto, qui par pari referens Valachiam igne ferroq; adflixit. Pugnatum est cum iisdem ad Tyram fluvium dubio Marte, donec Polonis cataphractis equitibus ac viribus prævalentibus Valachi fusi fugatiq; sunt, in fuga plurimis cæsis, ac captis ex Proceribus non paucis. Eiusdem anni mense Octobri Moscus Plescoviam subjugavit. Qui hunc excepit annus, multorum Principum Legatione ad Regem memorabilis fuit. Mense Iunio conuentus Polonorum cum Cruciferis Posnaniæ habitus est, quò etiam Maximiliani Cæsaris, Vladislai Vngariæ, & Sigismundi Poloniæ Regum, ac Friderici Ordinis Magistri Legati convenêre. Sed frustrà. Hoc ipso anno Tartari Tauricani in Litvaniam eruptionem fecerunt, & ingentem hominum pecudumq; prædam abegerunt. Postero anno comitia Petricoviæ celebrata, in quibus de regni contra Tartarorum incursiones defensione actum. Altero verò Rex vxorem duxit Barbaram Stephani Comitis Scepusii filiam, cumq; eâ mense Februario nuptias celebrauit. Vere ineunte vigintiquatuor Tartarorum millia, qui in Russiam irrupêre, eamque atrociter afflixerunt, sexies leuibus præliis, ad extremum totâ acie in abeuntes impetu facto ad Visnoveciam profligavit. Sequenti verò Rex Posnaniam cum Regina profectus, illic motus quosdam intestinos pacavit. Eodem anno Regina prolem primam enixa est, cui Hedvigis nomen inditum. Anno veniente Moscus Smolenscum obsidione cingit, ac proditione capit, ideoque contra illum bellum decretum, in quo Mosci à Polonis & Litvanis ad Orsam cæsi fugatiq; sunt ad triginta duo millia. Insequenti anno conuentus Viennæ celebratus est, cui Maximilianus Cæsar, Vladislaus Vngariæ & Bohemiæ, ac Sigismundus Poloniæ Reges inter-

interfuêre, ibiq́ue fœdus affinitatemq́ue inter se inierunt. Inde reuersus Rex Cracoviam, coniugem malè affectam paucis pòst amisit. Proximo anno Comitia Petricoviæ acta sunt, quibus Alberti Marchionis Brandeburgici Ordinis Magistri electio interuentione Casimiri Marchionis Brandeburgici approbata est eâ conditione, vt Albertus intra semestre regno Poloniæ obedientiam juraret, quas conditiones ille rejecit. Eodem anno Tartari in Podoliam & Russiam irruperunt, quos Poloni Martino Camienecio Palatino Podoliæ, ac Stanislao Lanczkoronio insecuti ad Treboulam cruento prælio cæciderunt, & ad Podhaicze quingentos ad internecionem trucidârunt. Proximo post hunc anno Poloni cum Litvanis Moscoviam immaniter vastârunt, quos Mosci ad Opociam arcem munitam magnâ strage affecerunt. Subsequenti verò Conuentus Cracoviæ celebratus est, in quo multa Reipublicæ salutaria constituta, præsertim verò pecunia agricolis & oppidanis in stipendia militum, qui Podoliæ fines tuerentur, imperata. Mense Decembri Rex operâ Cæsaris duxit alteram vxorem Bonam Sfortiam Ducis Mediolanensis & Isabellę Arragonię filiam. Sequenti anno Tartari in Poloniam sese infuderunt, qui Polonos viribus impares se insecutos ad Socalum ingenti clade contriverunt. Anno dein proximo Rex bellum in Prussia aduersus Ordinis Magistrum vario successu gessit, & filium ex coniuge Sigismundum Augustum mense Augusto suscepit. Circa illud tempus Tartarorum quinque millia Mosciam oppidum direptum incolis in seruitutem abductis exusserunt, ac pòst Litvaniam ingressi magnam eius partem inter Sluscum ac Pinscum atrociter depopulati sunt. Anno millesimo quingentesimo vicesimo secundo Rex ob continuatas Tartarorum incursiones Conuentum Petricoviæ instituit, vt de coërcendis illis consilia tractarentur. Itaque pecunia

cunia ad mercenarium militem conscribendum ab agrestibus & oppidanis exacta est. Mense deinde Octobri Moscus ad Regem Legatos misit, induciasq́ue in quinquennium ab eo obtinuit. Æstate sequenti Turcæ cum Tartaris Podoliam invaserunt, eamq́ue longè lateq; deprædati sunt. Crassoloviam arcem expugnare conati multa cum suorum cæde repulsi sunt. Anno verò proximo aduenerunt diuersorum Principum Legati ad Regem fœdus & amicitiam ipsius expetentes, cum quibus vtrumque initum. Eâ æstate Podolia atque Russia à Turcis & Tartaris infestatæ sunt. Veniente anno in Prussia Orientali, cuius Magister vltimus erat Albertus Marchio Brandeburgensis, Regiæ sororis filius, Rex Reipublicæ formam in Ducatum commutavit, Albertumq́ue post inducias quadriennes in fidem atque clientelam accepit, Principatumq́ue illum hæreditarium ei, fratribusq́ue eius Casimiro, Georgio, ac Ioanni in mares duntaxat liberos constituit. In Prussiam deinde anno postero Rex se contulit, ac Gedani in autores religionis mutatæ animadvertit. Quo anno & Masovia defunctis suis Ducibus, post quadringentesimum ferè annum ad corpus Poloniæ rediit. Insequentis anni principio Tartarorum viginti sex millia in Litvaniam impressione factâ ad Pinscum vsque penetrârunt, omniaq́ue vastârunt ac diripuêrunt. Quos abeuntes cum præda, Ostrogius Dux insecutus cæde magnâ editâ profligavit. In Podolia item æstate anni proximi Tartarorum mille equites ad Cameneciam à Iaslóviecio & Iscricio, ac nõ multò pòst à Lanczkoronio & aliis ad Oczakoviam, quæ tunc Tartarorum præsidio tenebatur, cæsi sunt. Appetente altero anno Rex Petricoviæ Conuentum egit, in quo decretum, vt ad finium Litvaniæ ac Podoliæ defensionem contra Turcas, Tartaros, ac Moldavos pecunia agricolis atque oppidanis imperaretur. Constitutum etiã, vt Podolica atq; Russica.

sica Nobilitas equis armisque instructa ad Tartarorum irruptiones reprimendas opem ferret. Proximo post hunc anno Sigismundus Augustus Regis filius, non multò antè Magnus Litvaniæ Dux creatus, Cracoviæ coronatur à Ioanne Lasco Archiepiscopo Gnesnensi. Anni sequentis mense Augusto Pocucia Moldavis, qui ibi præsidiarii erant, à Polonis erepta: postliminio Poloniæ adiuncta est, & ipse Moldaviæ Palatinus Petrus fines Poloniæ ingressus primùm cum sex millibus ad Gvosdeciam, ac mox ingenti cum exercitu ad Obertinum pagum à Polonis duce Ioanne Tarnovio insigni clade profligatus est. Insequenti anno Poloni ex Pocucia in Moldaviam irrumpentes regionem incautiùs depopulantes improvisò à Valachis ad Tirasouce cæsi sunt. Postero deinde anno comitia Petricoviæ celebrata sunt non sine magno propter Nunciorum provincialium dissidium tumultu. Ad ea comitia venit Turcicus, Tartaricus, & Valachicus Legatus de fœdere. Proximo anno Tartarorum ac vicinarum gentium Barbaricarum metu complures in Russiam ac Podoliam arces Rex exstrui jussit. Litvani verò in Moscoviam irruptione factâ aliquoties cum iis conflixerunt, ac Smolenscum exusserunt. Subsecuto anno Mosci Litvaniam miserandum in modum ingentibus damnis illatis deprædati sunt. Quod Poloni cum Litvanis duce Nicolao Radivilio Holmâ captâ ac Starodubo expugnato atque everso in Moscis vltus sunt. Exin Rex comitiis ad D. Catharinæ diem Petricoviæ indictis, in Litvaniam se cõtulit ad bellum inferendum Moscis. In illis prima constitutio promulgata erat de executione omnium legum, ac decreta expeditio publica aduersus Moldavum, qui non ita pridem Russiam igne ferroq; populatus est. Anno insequenti comitia Cracoviam edicta erant, quæ in quartum vsque mensem anni proximi durabant. In illis Sigismundus Augustus Rex jusiurandum solenne Nobilitati

litati dedit, quòd secundùm leges à patris morte regnum administraturus sit. Veniente anno Poloni ad fines in Podolia tuendos relicti, in Valachiam impetum fecerunt, ac prædâ ingenti abactâ oppida aliquot flammis deleverunt. Quos Moldavi ad Seretum adorti memorabili clade affecerunt. Altero anno Rex Ioanni Vngariæ filiam Isabellam ex Bonæ Sfortiæ coniugio primogenitam elocavit, quæ ab Episcopo Premislien si & Castellano Gnesnensi magna cum pompa in Vngariam deducta est. Anno deinde millesimo quingentesimo quadragesimo secundo Quadragesimæ tempore Comitia Petricoviæ coacta sunt, in quibus leges complures latæ, tributumque duodênum grossorum in mansum decretum. Sequenti etiam anno Comitia Cracoviam indicta, vbi tributum in mansum dênum grossorum sancitum. Eodem anno Sigismundus Augustus vxorem duxit Elisabetham Ferdinandi Regis Vngariæ & Bohemiæ filiam. Consequenti anno comitia Petricoviæ habuit, in quibus cerevisiale duntaxat scitum, & actum non solùm de regni aduersus hostes defensione, sed etiam de eius statu recte constituendo. Anno proximo edicta sunt Cracoviæ comitia, quæ ob Ordinum studia diuersa nullo operæ pretio facto soluta sunt. Ne tamen regni fines præsidio militari destituerentur, cerevisiale ex oppidis regiis atque Ecclesiasticis decretum est in militum stipendia, qui in Russia merebant. Aduenit paulò post à Cæsare Legatus ad Regem, per quem ad Concilium Tridenti indictum promouendum eum solicitauit. Sub anni huius finem alia Comitia Cracoviam edicta erant, in quibus Nobilitatis postulata fuêre de Litvaniæ, Prussiæ, Masoviæ, Zatorien sis & Osviecinensis Ducatuum cum Polonia conjunctione. Anno verò millesimo quingentesimo quadragesimo septimo misit Rex ad Comitia Imperii Augustam Vindelicorum Stanislaum Lascum negotii Prussici

causâ. Tandem anno subsecuto ipso Pascha Sigismundus
ANNO CHR. 1548. Rex vitæ gloriæque jam satur regno Poloniæ pacatissimo relicto ad cœleste regnum migrauit, annum agens octogesimum secundum, cùm supra vnum & quadragesimum cordatè imperâsset, & præter Sigismundum Augustum filias sex reliquisset magnis Regibus ac Principibus elocatas. Princeps singulari pietate, justitiâ, prudentiâ, fortitudine, constantiâ, temperantiâ, injuriarum oblivione, & adversarum rerum tolerantiâ præditus, ingenio ac memoriâ felici; corpore sanus, adeoque robustus, vt ætate florenti ferreas equorum soleas manibus diffringeret, funes canabinos crassiores rumperet, balistam manu intenderet, & chartularum lusoriarum fasciculos discerperet.

SIGIS

SIGISMVNDVS II. AVGVSTVS.



IVSTIS patri persolutis suscepit regni gubernationem SIGISMVNDVS AVGVSTVS, ac non multò pòst vxorem alteram duxit Barbaram Radiviliam Stanislai Gastoldi Palatini Trocensis viduam. Mense dein Octobri indixit Rex Petricoviæ comitia, quæ sub anni sequentis principium celebrata, in quibus Regis matrimonium à Prouinciarum Nunciis magnâ libertate exagitatum. Mense verò Septembri Tartari in Russiam irruptionem fecerũt, omniq; crude-

ANNO CHR. 1548.

crudelitatis genere grassati, ingentem hominum iumentorumq; prædam abegerunt. Proximo pòst anno comitia iterum Petricoviæ habita, in quibus iterum de illis ipsis conditionibus, de quibus antè explendis tractatum. Deliberatum etiam hîc de exsecutione legum, quæ tamen à nonnullis in Senatu impugnata est. In his comitiis Nobilitas, Ordini ecclesiastico propter nimiam eius potentiam infensa, ansam arripuit eum liberiùs exagitandi. Comitiis finitis Rex Cracoviam iter vertit, ibiq; Barbaram coniugem suam sub anni finem solenniter coronandam curavit: quæ sexto post coronationem mense anni sequentis vitam & diadema amisit. Veniente anno mense Februario Rex comitia Petricoviam edixit, in quibus pericula à Tartaris, Turcis, ac Valachis per Cancellarium commemorari, nunciosque Nobilitatis de externa vi reprimenda deliberare inprimis iubet. Illi per Raphaëlem Leszczinium Præfectum Brestensem non tàm externam vim, quàm Episcoporum tyrannidem regno formidini esse respondent, qui potestate ad regni perniciem abusi regiam sibi arrogant. Pestem igitur domesticam primùm tollendam, deinde de hostibus externis videndum. Conuentu soluto Gedanum Rex splendido comitatu profectus est, qui à Gedanensibus magnificè habitus est. Inibi jura, causas, & vrbes Prussiæ cognouit, & ab Alberto Prussiæ ac Barnimo Pomeraniæ Ducibus, qui ad eum visendum eò venerant, summo honore salutatus est. Tandem Regiomontum inuitatus à Principe Alberto ivit, qui se ita erga Regem obsequio atque hospitalitate gessit, vt cæteris Principibus Regis colendi illustre exemplum ostenderit. Anno, qui subsecutus est, Rex Lublini comitia habuit Legatione Moscoviticâ, quæ tum primùm advenerat, clara. Hîc de Regis conjugio consultatum. Proponebatur autem iterum ex domo Austriaca Catharina Ferdinandi Imperatoris filia, Francisci Mantuæ

Mantuæ Ducis vidua, prioris coniugis germana: quæ non multò pòst à fratre Ferdinando Austriæ Archiduce Cracoviam adducta, & nuptiæ ex dispensatione Pontificis Cracoviæ ingenti pompâ celebratæ sunt. Quibus peractis, rursus in Litvaniam se contulit, ac lites Knischini aliquandiu dijudicavit. Proximo post hunc anno in Livonia Magister intestinum Archiepiscopo Vilhelmo Marchioni Brandeburgico Regis cognato bellum intulit, quò Rex Poloniæ primùm ab Archiepiscopo in Livoniam attractus est, eoque vix sedato Moscorum impressiones secutæ sunt. Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto turbata erant in Polonia omnia, & Rex sororē Sophiam Henrico Brunsvicensi Duci nuptui dedit. Altero anno comitia Varsoviæ indicta sunt, vbi de inferendo Livonibus bello agitatum. Itaque expeditio in Livoniam secuta est: sed intercessione Ferdinandi Cæsaris ac Principum Electorum res sine sanguine transacta est. His ita gestis, Rex ex Litvania Crasniſtavum contendit litium dijudicandarum causâ. Pòst Varsaviam concessum, inde Rex ob Reginæ incommodam valetudinem Cracoviam excurrit. Anni millesimi quingentesimi quinquagesimi noni initio comitia Petricoviæ habita sunt, in quibus Ordines de interregno eiusq; remediis aliquid constitui, ac modum futuræ Regis electionis præscribi cupiebant, cùm post tertium Regis connubium de prole ipsius vulgo desperatum esset. Conuentu peracto Rex Cracoviam reuersus, ibiq; per bimestre commoratus, in Litvaniam rursus profectus est, Cracovienſibus, apud quos postremùm se ante mortem visendum præbuit, valedicens. Altero ab hoc anno formâ Livonicæ Reipublicæ mutatâ Gothardus Ketlerus vltimus Livonum Magister, Curlandiæ & Semigalliæ Dux solenniter proclamatus, ac Livoniæ Prorex in Curia Rigensi publicè renuntiatus, & claues arcis ac portæ vrbis ipsi traditæ sunt. Postero

anno Concilium Episcoporum Poloniæ nationale ante œcumenicum Tridentinum Varsaviæ convocatum, ac Legati ad Concilium Regis autoritate missi. Haud multò pòst Petricoviæ comitia acta, vt præter cætera etiam consuleretur, quâ ratione Mosco Astracanis Casanisque devictis insolescenti, deq; capienda Polocia cogitanti resistendum esset. Erant autem comitia hæc tum ob novam quandam nuper legum executionem cœptam, tum ob Episcoporũ iurisdictionem odiosa. Hoc ipso anno Rex sororem suam Catharinam Finlandiæ Duci Ioanni, qui pòst Rex Sueciæ fuit, Vilnæ elocauit, Regi verò non multò pòst Parnaviam oppidum Livoniæ maritimum Ericus Sueciæ Rex eripuit, ac sub Decembris exitum Moscorum Princeps Ioannes Basilides ingentibus copiis in Litvaniam expeditionẽ susceptit, ac sequentis anni mense Februario Polociam oppugnat, ac tandem expugnat. Indixit deinde Varsaviæ comitia Rex vnionis seu fœderis cum Litvanis stabiliendi gratiâ. Secuta est pòst Moscorum in Litvaniã irruptio, qui à Litvanis magnâ ex parte ad Vlam fusi sunt, eodemq; anno ad Iezerisciam iterum ab iisdem ad octo millium Moscorum cæsa. Ad comitia Varsaviam Proceres Poloni frequentes, ex Litvanis nonnisi Nicolaus Radivilus Palatinus Vilnensis publico nomine venit. Is in Senatu oratione patheticâ de Litvaniæ conjunctione cum Polonia adeò Regis animum commovit, vt se à lachrymis vix abstineret. Comitiis finitis, ineunte vere anni venientis primùm Bielsci, ac pòst Parczoviæ mense Augusto vnionis causâ conventum fuit. Verùm Bielsci negotium interturbauit arx cœlitùs tacta, & Turcici Legati aduentus. Parczoviam verò Litvani non accesserunt, turbulentum patriæ statum causati. Post hæc comitia Rex in Litvania diuersos egit conventus, & dignitates vacantes etiam sibi aduersantibus Proceribus contulit. Proximo pòst anno Rex Lublini comitia

tia edixit, in quibus de diuortio cum Catharina coniuge sua deliberatum fuit, prætendens eius sterilitatem. In Livonia verò Parnoviam à Svecis ante triennium occupatam Germanorum equitum operâ, qui Sveco ante militaverant, recuperauit. Consequenti anno Prussiam Ducalem per Commissarios in ordinem redegit, nouis quibusdam consultoribus pravis tanquam pacis publicæ perturbatoribus supplicio affectis. Anno verò millesimo quingentesimo sexagesimo octavò comitia Petricoviæ frequentauit, vbi legum executio, ac maximè earum, quæ de bonorum regalium occupatione sancitæ sunt, ad finem perducta est: ibidem etiam Rex quartam suorum reditvum partem fisco Reipublicæ intulit, & Episcopales annatas siue reditus Episcoparum vacantium eidem destinavit, vt inde miles ad defendendam Russiam, aut aliam quamuis ob causam necessitate vrgente aleretur. Ab his comitiis Rex in Litvaniam reuersus, exercitum ad Radoscovitiam aduersus Moscum duxit, sed sine successu. Eodem anno Ulam ac Susam Mosci munitiones Romanus Sangusko Litvaniarum copiarum Præfectus occupavit, ac sæpius eorum copias ingentes parvâ manu fudit. Subsecuto verò anno Lublini comitia habuit, in quibus vnio seu coniunctio Litvaniæ cum Polonia finem sortita est. In iis Alberto Friderico Prussiæ Duci feudum atque insignia Ducatus Rex solenni ceremoniâ contulit, deq; privilegiis cavit. In his quoque comitiis ordinem Senatus regni constituit nonnihil ab antiquo mutatum, postquã Litvani cum Polonis se conjunxêre. Ab his comitiis Rex cogitasse dicitur de itinere Vratislaviam ad Cæsarem Maximilianum suscipiendo, quod tamen successu caruit. Postero anno Varsaviæ comitia indixit, multis rebus, de quibus ibi actum, memoranda: inprimis verò cœptum ibi agi de disquirendis atque in ordinem redigendis priuilegiis, ac veteribus Reipublicæ monumentis.

Proximi anni initio in Livonia Moſci Finlandiam ingreſſi miſerè depopulati ſunt, Moſcoviæ verò metropolis à Tartaris Præcopienſibus ex improuiſo incendio deleta eſt, arce tantùm conſeruatâ. Menſe Februario ſequentis anni deceſſit Catharina Auſtriaca Poloniæ Regina, Sigiſmundi Auguſti coniunx, quam quarto menſe pòſt Kinſchini Rex ſubſecutus eſt ſeptimo Iulii anno ætatis quinquageſimo ſecundo, regni verò poſt patrem viceſimo quarto: Princeps optimus, pacificus, bonæ ſpei nutritor, vigilans, prudens, iuſtitiæ amans, patiens, frugalis ſibi, liberalis aliis, diuerſarum linguarum gnarus, muſicæ, harmoniæ, concentus, ac modulationum iudex peritus, Geometriæ, Opticæ, architecturæ, tormentariæ callens, naturæque diligens obſeruator, aciei inſtruendæ, curruum ordinandorum, exercituſque ducendi non ignarus. In quo Iagellonum familia deſita eſt, poſtquam ducentis ferè annis in Polonia regnâſſet.

ANNO CHR. 1572.

HEN-

HENRICVS VALESIVS.



EXEMTO rebus humanis SIGISMVNDO AVGVSTO Rege, habita ſunt comitia generalia Procerum ac Nobilitatis ponè Varſaviam ad Kamienum pagum nouo Regi eligendo. Quò Legati à Pontifice Romano, Cæſare, Galliæ Rege, ac fratre eius Henrico Andium Duce, à Sveciæ Rege, & aliquot Principibus aduenerunt. Altero deinde anno Idibus Aprilis iterum de noui Regis electione ad

ANNO CHR. 1573.

Varsaviam in campo patenti, in quo tentorium ingens erectum, agitatum, vbi post diutinam consultationem Henricus Andium Dux, Henrici Secundi Galliæ Regis filius, Poloniæ Rex designatus, idemque vnanimi suffragiorum consensu renuntiatus est. Conventu nondum soluto, instrumenta electionis confecta, atque ad ea in Galliam perferenda delecti sunt Legati illustri loco nati tredecim: qui Lutetiam decimo quarto Calendarum Septembris feliciter delati, & à Rege Galliæ comiter, perbenigneque accepti Henricum Ducem Andiæ Polonorum Regem salutârunt. Omnibus ritè constitutis, cum Legatis Polonicis, ac non paucis Galliæ Proceribus in Poloniam secundâ aurâ properans non sine magnâ lætitiâ atque gratulatione aduenit, Cracoviamque sequenti anno decimaoctauâ Februarii ingressus, non multò pòst solenni ritu ab Archiepiscopo Gnesnensi Iacobo Vchanio consecratus atque inauguratus est. Dum ita regnum Poloniæ quadrimestre ferè administrat, moritur hoc temporis spatio Galliæ Rex frater ipsius. De cuius morte certior factus à Regina matre, consilia de regno auito repetendo agitat. Primùm itaque Proceres conuocat, quibus fratris decessum exponit, simulq; causas, cur sua in Gallia præsentia requiratur, addit: interea se nil sine Procerum atque reliquorum Ordinum consensu acturum simulans, comitia mense Augusto indici cupit, in quibus eâ de re tractaretur. Re itaque pendente, clam mittit ad Cæsarem Maximilianum, qui fidem publicam ab eo peteret. Quâ non exspectatâ, nocte intempestâ peregrino Nobilis habitu egressus, pauciq; comitatus citatis equis Plessam Silesiæ oppidum attigit. Vnde post siceræ & aquæ haustum dispositis equis Viennam, inde Venetias profectus, per Sabaudiam in Galliam appulit. Poloni Rege orbati, literas sæpius ad eum in Galliam mittunt, reditum eius in Poloniam flagitantes.

ANNO CHR. 1574.

Verùm

Verùm cùm ille inani Polonos spe lactare videretur, tandem comitiis Varsaviam indictis, certum Henrico Regi diem assignant: quo si non sisteret se ad alius Regis electionem progressuros se denuntiant. Hæc cùm ille non admodum curaret, Proceres Stenziciæ conuentum edicunt ad consultandum de nouo Rege eligendo, Henricus enim ad diem dictam non comparuerat. Itaque omnium Ordinum decreto Henricus exauguratur, neque amplius Poloniæ Rex habendus declaratur, haud secus, ac si interregnum esset. Occisus est duodecennio pòst à Monacho Iacobo Clemente cultello prælongo ac venenato, quo ilia eius petiit, nouissimus ex Valesiorum familia Galliæ Rex.

ANNO CHR. 1586.

STEPHA-

STEPHANVS BATHOREVS.

ANNO CHR. 1575. POST excessum Henrici Regis ex Polonia conuentus Varsaviæ Regi nouo creando ad mensem Decembrem indictus est, in quo Cæsar Maximilianus à potissima Senatus regni parte electus est Poloniæ Rex, & ab Archiepiscopo Gnesnensi proclamatus. Cui proclamationi, vt loco & more non debitæ factæ, pòst reclamatum. Aduersa verò Procerum pars frequenti Nobilitatis assensu Regem ex genere Polono deligendum censens Annam defuncti Regis sororem, virginem firmatæ iam ætatis, Reginam declarat, eique Stephanum Bathoreum Transylvaniæ Palatinum maritum destinat, ac publicè renuntiat. Dum verò Cæsar cunctatur, Bathoreus comitatu stipatus spectatissimo veteranorum in Po-
ANNO CHR. 1576. loniam iter maturat, vbi Annâ Poloniæ infante ductâ in matrimonium, cùm ea Rex Polonię Calendis Maii anni posteri Cracoviæ inauguratus est. Regno obtento ad intestinos motus componendos, ac præsertim Gedanensium conuersus, Toruniæ prima comitia ad Octobrem edicit, in quibus Rempublicam ex turbulentissima tranquillissimam reddidit. Inde in Moscoviam Legatos pacis tractandæ causâ mittendos decernit. Hîc quoque Gedanensium causâ, qui in electione à Cæsare stabant, ventilata est, ac qua ratione ad officium reduci possent, deliberatum. Sed cùm in iuramento præstando Gedanenses moram necterent, sententia proscriptionis, quâ perduelles damnati sunt, promulgata, bellumque contra illos decretum, simulque susceptum. Quod tamen intra anni spatium intercedentibus pro illis Principibus, Electoribus ac Hassiæ Landgravio sopitum est. Rege ad Gedanum occupato, Moscus in Livoniam irruit, ac per Magnum Holsatiæ Ducem oppida ac non paucas Livoniæ munitio-



nitiones intercepit. Quare Rex in Ianuarium anni sequentis Varsaviam comitia denuntiat, in quibus bellum contra Moscum sancitum, & tributum in singulos mansos, vt vocant, ac cerevisiale in vrbibus atque oppidis scitum. In his etiam judicia tribunalitia à Rege instituta, vt Respublica ex suo corpore in singulis Palatinatibus seu satrapiis quotannis sibi deligeret judices, qui primùm à D. Martini ad Pascha Petricoviæ, dein à Pascha ad messem vsque Lublini ius dicerent, ac causas appellationis siue vltimæ, vt nominant, instantiæ deciderent. Auditi pòst externorum Principum Legati,

ac Georgio Friderico Marchioni Brandeburgico Alberti Friderici ægri Prussiæ Ducis patrueli curatio Ducatus illius commendata est. Aderant & Pomeraniæ Ducum Legati, qui nomine Principum suorum in Bithovienſem Lavenburgenſemq; tractum jus maiestatemq; regni agnoscebant. Moscus cùm Legatos Polonicos indignissimè habuisset, eosq; Moscoviâ excedere jussisset, Vendam interim frustrà oppugnavit, eoq; ferè tempore Magnus Holsatus Dux ad Regem à Mosco deficit, crudelitate Mosci deterritus, ac in fidē clientelamque Regis conditionibus certis se dedit. Postquàm Mosco Rex bellum denuntiasset, Vilnâ ad copias lustrandas Svirum profectus est, vbi de belli summa constituebat. Polociam itaq; itum est, quam Rex obsidione cinxit, ac decimonono die cepit, regnoq; Poloniæ restituit, cùm in annos XVII. Moscus eam tenuisset. Non multò pòst etiam Socola, Susa, Toroulia, & Niscerda vnâ hac expeditione à Polonis occupatæ sunt. Victoriâ potitus Rex, Vilnam ouans cum exercitu rediit, inde Varsaviam pergit, quò comitia ad Ianuariū mensem indixerat, cùm aliis necessariis de causis, tùm vt bellum continuaret. In iis iterum expeditio contra Moscum decernitur, & quod priori anno sancitum, in hunc denuò tributum jubetur. Præfecti etiam redituum suorum alteram quartam, qualis Ravam in ærarium publicum inferretur, Regi vltrò detulerunt. Postulatum etiam inter alia à Rege, vt per Legatos bellum gereret, ipse à periculo armorū abesset. Quod cùm animi sui magnitudine indignum judicaret Rex, ostensum præter ea fuit, quò plures voluntarii, si in Regis cōspectu operam nauaturi essent, inuitarētur, & ad minuendas cōtrouersias, quæ ex Polonicorum ac Litvanicorum magistratuum æmulatione existere possent, præsentiam eius non modò vtilē, sed penè etiam necessariam futuram. Solutis comitiis Rex rursus in Litvaniam se confert, & in Vielicoluci oppugnationem inclinat, quod tamen, quò diutius celaret hostem, sub præ-

ptextu Czasniciam exercitui diem, quo conueniret, edixit. Hîc ad consilium refert, vtrùm Vielicolucum, an Smolenscum, vel Plescoviam eundū judicarent. Vincente omnium sententiâ, Vielicolucum itum est. Zamoiscius per aspera itinera ac siluas invias exiguo temporis spatio superatas exercitus partem Velisium duxit, admotisq; tormentis deditione illius potitus est: inde Vsviatæ deditio secuta. Rex interim ad Vielicolucum arcem castra locat, cùm paulò antè vrbs à præsidiario milite incendio deleta esset, eamq; munitionibus excitatis oppugnat, ac tandem Mosci Legatis, qui in castra venerant, spectantibus potestatis suæ fecit, maiore obsessorum parte, quorum erant circiter septem millia, à milite cæsâ, reliquâ in servitutem redactâ. Haud multò pòst Nevela & Iezeriscia, ac tandem etiam Zavolocia in Regis potestatem venerunt. Hæc dum ita fiunt, Rex in Litvaniam reuersus, Rigam per Demetrium Solicovium certis subiectionis conditionibus in fidem Regis ac regni Poloniæ accepit. Redeunte ab expeditione Vielicolucanâ Varsaviam ad comitia Rege, tota ciuitas extra portas effusa est, maiusque quàm ante, gaudium obortum. Sequentibus diebus similiter à Nuntiis prouincialibus Regi pro re bene gesta totius Reipublicę nomine gratiæ actæ. Quæ quidem gratitudo non displicebat Regi, verùm tamen hortabatur Ordines, vt hunc rerum successum omnibus modis vrgerent. Deinde magnum incommodum in eo esse ostendit, quòd quotannis ad comitia tributi causâ in Poloniam reuocetur, militem itineribus continuis conficī, hostique se recolligendi spatium interim dari: quodque tributa tardiùs exigantur, multas rerum gerendarum occasiones morâ hac impediri necesse est. Quibus incommodis vt obviam eatur, biennii tributum sciscī flagitat. Scitum tributum primùm simplex, posteà etiam duplex, eâ lege, vt si pax interim coiisset, tributa quoque cessarent. In

his etiam comitiis promulgata fuit ab Ecclesiasticis correctio Calendarii Româ à Pontifice Gregorio XIII. transmissa. Sub comitiorum finem Nuntii Nobilitatis Regi valedicentes duo petunt ab eo, rationem in posterum eligendorum Regum stabilem, ac compositionem inter status. A comitiis Vilnam Rex proficiscitur, dumq; ibi subsistit, Moscus Plescoviam, quam hoc bello petitam iri persuasum habebat, omnibus ad sustinendam obsidionem necessariis firmat. Rex interim militarē disciplinā prioribus legibus partim emendatis, partim auctis, accuratiùs sanxit, ducecq; exercitus perpetuo Ioanne Zamoiscio creato Plescoviam cum exercitu magnis itinerum difficultatibus accessit, eamque obsidione cingit, postquam in itinere Ostroviam præsidio destitutam priùs occupâsset. Dum hęc ad Plescoviam fiunt, Sveciæ Rex Narvam cepit, quæ res simultatis inter Reges seminarium fuit. Miserat iam antè Moscus Romam ad Pontificem Legatos, operam ei suam contra Turcam Reipublicæ Christianæ policitus, ac de Regis Poloniæ iniuriis questus perhibebatur, & vel secretò, vt ad pacem eum hortaretur, petiisse. His adiunctus est à Pontifice Antonius Possevinus, qui cum illis vnà in Moscoviam iret. Is ad Regem in castra deductus asserebat, Mascum nullis aliis conditionibus pacem accipere, quàm quas antea per Legatos Polociæ proposuisset: Rege non se prius ab vrbe exercitum abducturum, quàm vel vrbe potitus esset, vel Moscus vniuersâ cessisset Livoniâ. Dat Possevinus eadem de re per expeditum equitem ad Moscum literas, quibus acceptis ille sine mora nuntium vnà cum suo tabellario literisque ad Possevinum remittit, pagum Zapoliam in diplomatum vsus & ipsum designatum ad transactionem deligit publicæque fidei literas Legatis suis mitti postulat. Mittuntur à Rege literæ, & locus accipitur. Conueniunt posthæc vtrinque Legati, ac de pacis conditionibus disputant,

tant, quæ tandem hoc modo conuenit: vt Livoniam totam, Bolociam, & agrum Velisienſem Moscus Regi cedat: Regis nomine contrà Vielicoluco, Zavolociâ, Nevelâ, aliisque castellis nonnullis, quæ superioribus annis Mosco ademisset, Velisio ac Polociâ receptâ, illis cessum. Atque ita post tertium annum grauissimo bello finis impositus anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo, ac decennalis pax confecta. 1582. Rex triennio receptis omnibus iis, quę Moscorum Tyrannus triginta ferè annis Polonię regno eripuerat, comitia Varsaviæ mense Octobri indixit, in quibus capita proposita fuêre à Rege hæc: de certa interregnorum ac electionum forma constituenda: de concordia inter Ecclesiasticum & ciuilem ordinem: de iudiciorum correctione: de Livonia magistratibus ac legibus fundanda, præsidiis, commeatu, instrumento omni bellico, aliisque contra repentinas incursiones ad defensionem necessariis prouidenda: de munitionibus collapsis instaurandis, ac nouis instituendis: de Narva cæterisque Livoniæ oppidis & castellis à Sveco occupatis, ac de tributis ad ea conferendis. Aderant ad hæc comitia etiam Legati Mosci, vt iuramentum pacis firmandæ à Rege acciperent, quemadmodum regij iam antè ipsorum Principem iureiurando obstrinxerant. Solutis comitiis, quæ ferè nullo operæ pretio acta sunt, Rex in Livoniam profectus stabilem ibidem Reipublicæ formam restituit. Subsecuto anno Gedanenses pendentibus adhuc cum Stephano Rege aliquot controuersiarum capitibus integrè cum eo transigunt: Rex vicissim omnes Commissariorum actiones constitutionesq; in præiudicium ciuitatis vergentes, & ipsam placationis formulam irritam pronuntiat. Quæ omnia proximo anno in comitiis Varsavienſibus Senatus regni authoritate roborata & confirmata sunt. In iisdem comitiis Nuntii prouinciales priuilegia Nobilitatis ac Reipublicæ libertatem imminutam

esse cõquesti sunt, multis capitibus de Regis licentia adstringenda, & corroborandis Nobilitatis libertatibus exhibitis. Ad quæ cum Regis responsum exspectarent, Rex alia capita ad totius regni salutem spectantia, vtpote de induciis Moscimorte finitis, ac Smolensco recuperando, de Svecis ac Danis ex Livonia pellendis, de Tartaris coërcendis, de cæde iniusta Podlodovij Legati Regis à Turcis occisi vindicanda, inprimis verò de concordia omnium ordinum, & publica pace ac tranquillitate regni conseruanda, de finibus muniendis proposuisse fertur. Itaque hi deludi se putantes, ne huius conuentus acta adscriberentur, & ne quid, quod hîc decerneretur, ratum haberetur, interpositâ protestatione discesserunt. Eo ipso anno Rigæ in Livonia motus occasione Calendarij noui exortus est, qui pòst in apertam seditionem erupit. Sequentis anni Februario Rex seditionis autores ciuitatis Rigensis ad tribunal Regium Grodnæ euocat, qui priuilegiorum suorum prętextu causam in vrbe cognosci petentes, nec statutâ die comparentes, à Rege proscribuntur. Interea Gothardi Velingi & Ioannis Tastii Syndicorum tragœdia intervenit, qui proditæ religionis ac libertatis patriæ à plebe insimulati capite plexi sunt. Quâ re erga ciuitatem adeò commotus est Rex, vt, nisi arbitrio regio absque vlla exceptione totam se permittat, nullam gratiæ spem supereſſe declârarit. Sed ecce, dum inter spem & metum ciuitas constituta versatur, Rex à venationibus Grodnam reuersus, ex magnis illarũ regionum frigoribus repentinos horrores sentire cœperat, tandemq; epilepticis paroxysmis prostratus, Idibus Decembris regno atq; vitâ defunctus est, anno ætatis suæ quinquagesimo quarto, cùm regnũ gubernâsset decem annos, menses septem, & dies duodecim. Princeps virtute, sapientiâ, eruditione, magnitudine animi ac belli artibus præstans, justitiæ amans, cædibus, libidinibus, atque aliis sceleribus infensissimus:

ANNO CHR. 1586.

mus: in victu vestitu q; continens ac moderatus, ab omni jactantia & ostentatione alienus, omnibus comis, aditu & alloquio facilis: intelligentiâ sagax, linguâ ad respondendum promtus, obtrectationibus & adulationibus infensus fuit, corpore quadrato, ac staturâ mediam paulò excedente, facie dignitatis plenâ, capillo nigro, colore fusco simul & rubente, naso subsimo.

SIGISMVNDVS III.



DEFVN-

ANNO CHR. 1587.

DEFVNCTO STEPHANO Rege, Proceres altero anno Varsaviæ noui Regis eligendi causâ mense Iunio conuenerunt. Missi eò sunt à Pontifice Romano, Imperatore Rodolpho, Hispaniæ ac Sveciæ Regibus, à Turcarum, Moscorum, atque Tartarorum Principibus Legati. Mense pòst Sextili habitâ deliberatione, vt in re ardua, bene longâ in partes secesserunt, quorum alii Sigismundum Sveciæ Principem, Ioanne III. Sveciæ Rege, & Catharinâ Iagelloniâ Sigismundi Primi Poloniæ Regis filiâ, natum, alii Maximilianum Austriæ Archiducem Maximiliani Cæsaris filium Regem elegerunt. Tandem tamen Sigismundus Sveciæ Princeps solenni ritu à Stanislao Karnkovio Archiepiscopo Gnesnensi Cracoviæ VI. Calend. Ianuarii diademate insignitus regno potitur, cùm ætatis annos viginti & vnum, mensesque duos excessisset. Qua in re maximè spectata tum stirpis Iagellonicæ proxima cognatio, intercedente præsertim pro ipso Reginâ viduâ materterâ ipsius; tum vtriusque regni sublatis omnibus controuersiis exoptata coniunctio. Cui nunc rerum feliciter potienti Respublica vniuersa vitam, felicitatem, victoriamque aduersus hostes votis communibus precatur. Res autem gestas olim Lector cupidus alibi DEO volente habebit.

FINIS.

Sigismundus 3 rex Poloniæ natus: 1566: electus rex Poloniæ 1587: obijt: 1631: an: ætat: 65: regnavit annos 44:

Ladislaus filius regis Sigismundi 3: natus 1595: electus rex Poloniæ: 1631: mort: 1648 20 die Maii Joannes Casimirus frater Ladislai electus 1649 abdicavit 1660.

Vide nostra.

INDEX PERSONARVM ET RERVM.

A

ACademiæ Cracouiensis initiũ. 59
Acies Boleslai III. Pol. Princ. vt instructa. 46.
ADLEIDA Hassa Poloniæ Regina. 86.
In monasterium detruditur. ibid.
Æstus in Polonia magnus. 109.
ALBERT. Koscielecius Palatinus Brest. 84.
Pacossum arcem viriliter defendit. ib.
Alberto Frid. Pruss. Duci feudum confertur. 131.
ALEXANDER Rex Poloniæ. 116.
Paralysi tactus. 117.
Vitâ fungitur. 118.
Alienis iniustè occupandis propria iustè amittuntur. 50.
Alvei fluminum æstu exsiccati. 109.
Ambitionis & avaritiæ exemplum. 78.
Amuratis Turc. Imp. exercitus vincitur. 101
Andreas Kiovienſium Dux. 89
Anarchia & ataxia in Polonia. 38.
Archiepiscopalis cathedra in Russia. 92.
ARX Gedanen. periclitatur. 79.
Crucigeris deditur. ibid.
Astus Iaropelci Halicien. Ducis. 47.
Avaritia Boëmorum Polonis exosa. 77.

B.

BAIAZETES Turcarum Tyrannus. 111
Init fœdus cum Casimiro Rege Pol. ibid.
Eiusdem legati ad Ioan. Albert. Regem. 112.
Pacem & amicitiam offerunt. 115.
Barbara Casimiri Regis filia Sax. Duci nupta. 113
Basilij Mosc. Ducis in Litvan. irruptio. 120.
Bela Vng. Rex exul in regnum restituitur. 40.
Bellum Prussicum. 122.
Vngaricum. 41.
Boëmi ius in Poloniam sibi vendicant. 44
BOLESLAVS I. Rex Pol. ab Imp. Rom. creatus. 31.
Immunis à iurisdictione Impp. 32.
Obitus ipsius. 33.
BOLESLAVS II. cogn. Audax Rex Pol. 40
Expeditiones ipsius. ibid.
Occidit Diu. Stanislaum Episcopum Cracovien. 42.
Excommunicatur & Regno priuatur. ibid.
Fugit in Vngariam. ib.
Amentia correptus mortem sibi infert. ib.
BOLESLAVS III. cogn. Crivoustus Princeps Pol. 45
Crivoustus vnde dictus. 48.
Expeditiones ipsius. 45. & 46.
A Russis invaditur. 47.
Diem suum obijt. ibid.
BOLESLAVS IV. Crispus Pol. Princeps. 51.
Expeditiones ipsius. 52.
Prutenos ad religionem Christianam adigit. ibid.
Mortem cum vita commutat. 53.

Boleslavs V. Pudicus Pol. Princeps. 64.
Captus à Conrado Masoviæ Duce. ib.
Transfertur in monasterium. ib.
Elabitur inde. ib.
Redit ad Principatum. 65.
In Vngariam fugit. 66.
Naturæ concessit. 67.

C.

Calendarii Gregoriani correctio, 140
Calisii templum D. Pauli fundatur, 81
Carolus Vngariæ Rex, 86
Carolus IX. Galliæ Rex, 143
Casimirvs I. Rex Poloniæ, 137
In Vngariam fugit, 38
Fit monachus, ibid.
Redit ad regnum, 39.
Vxorem ducit, ib.
Expeditiones ipsius & mors, ib.
Casimirus II. cogn. Iustus Princeps Pol. 57
Russos fundit, 58
Prutenis bellum infert, 59
Mortalitatem exsuit, 60
Casimirus cognom. Magnus Rex Poloniæ, 85
Cum Crucigeris inducias facit, ib.
Cum Vng. Rege fœdera init, ib.
Russiam meridionalē aggreditur, ib
Duci Saganen. bellum mouet, 87
Fœdus cum Pomer. Duce facit, 88
Expeditio eius in Russiam, ib.
Veneri illicitæ deditus, ib.
Inter homines esse desit, 90
Casimirus Iagellonides Rex. Pol. 104
Pacta cum Cruciferis approbat, ib.
Proceribus iusiurandum dare recusat, ibid.
Vxorem ducit, 106
Prutenos in deditionem accipit, ib.
Pugnat cum Cruciferis, ib.
Fœdus cum Boem. Rege cōfirmat, 108
A Palatino Valach. iusiurand. exigit, ibid.
Ad bellum se parat, 110
Filiam Bavar. Duci elocat, ib.
Moldav. Palatinum in clientelam accipit, ib.
Bellum Tartaricum gerit, ib.
Finem vitæ facit, 111
Casimirus Dux Stetinen. captus, 97
Catharina filia Sigism. I. Regis Pol. 130
Ioanni Finlandiæ Duci nupta, ib.
Cometes in Polonia, 40. 119
Concilium nationale Episcoporum, 130
Conradus Masoviæ Dux, 66
Occupat Cracoviam. 67
Ejicitur inde, ib.
Ad plures abijt, ib.
Coprivnicense Monasterium direptū, 66
Consilium de Gedanen. arce recuperan. 79
Cracus Princeps Poloniæ, 3
Eius regimen, 4
Cracovia à quo condita, ib.
Munitur, 70
Deficit à Vladisl. Loctico, 80
Ibi comitia, 80. 120. 122. 124.
Cruciferi de Gedano adipiscen. consultant, 74.
Vexant maiorem Poloniam, 83
Cæsi, 84
Condemnantur, 86
Eorum ingens numerus cæsus, 97

D

Delegati Pontificis Romani, 86
Dersavia à Cruciferis occupata, 80
Disciplina militaris, 50. 140
Disceptātes de novo Principe sententiæ, 72.
Dissidia

Dissidia intestina sedantur. 47
Dobrinum vastatur. 76

E

Ebrietatis odium. 14
Electionis in Polonia modus. 11
Eruptio Tartarorum in Litvaniam, 120
Eorum excursiones in Russiam, 106 & seq.
Excursiones Polonorum in Boëm. 76
Litvanorum in Lublinen. oram. 68
Vladislai Regis Pol. & Vng. in Turcam, 102
Polonorum in Livoniam, 129
Eorundem in Moscoviam, 138
Casimiri M. Regis in Valach. 89
Exemplum humilitatis. 14

F.

Foedus Boleslai cum Bela Vng. Rege, 65.
Vladisl. Iagellonis cum March. Missniæ, 97
Inter Casimirum & Baiazetem, 111
Inter Pol. & Vng. redintegratū, 112
Inter Pol. & Vng. Reges, 114
Polonorum cum Moscis, 115
Fidei Christianæ in Polonia initium, 30
In Prussia itidem, 52
In Litvania, 96
Forma Reipubl. Livon. mutata, 150
Fortunæ inconstantia, 67
Fratrum primitiuorum prærogatiua, 50
Fraustadien. tractus à Polon. avulsus, 87
Fridericus Barbarossa Rom. Imp. 52
Fuga Polonorum, 66
Litvanorum ac Tartarorum, 77
Fulco Episcopus Cracovienſis. 60

G

Gedanum munitur, 74
Eò venit Sigismundus I. Rex Pol. 123.
Gedeon Episcopus Cracovien. 54
Gedanenses iuramentum præstant, 78
Iuramentum præstare recusant, 136
Eorum cum Steph. Rege bellum, ib.
Eorum cum eodem transactio, 141
Georg. Friderico Marchioni Brand. Prussiæ curatio commendata, 138
Georgius Podiebradius Rex Boëm. 108
Gnesna condita, 2
Eius nomen vnde, ib.
Eò regia Cracovien. translata, 17
Inibi comitia, 38. 74
Gnieucovia oppugnata occupataq, 92
Goplus lacus, 44
Gothardus Livoniæ Magister, 129
Fit dux Curland. & Semigalliæ. ib.
Grodli conventus Pol. & Litvan. 97
Grodnū à Vlad. Iagellone recuperatū, 96

H.

Halicia Russiæ Vrbs, 58
Capitur à Casimiro II. ib.
Ab Vngaris in potestatē redigitur, 59
Ibid. Archiepiscopalis cathedra, 92
Halicienſe prælium, 48
Helena Regina Poloniæ, 116
Henricus Sendomirien. Dux occumbit, 53
Henricus Barbatus Dux Vratisl. 64
Idem Boleslai Pudici tutor, ib.
Capitur à Conrado Masov. Duce, ib.
Henricus Pius Dux Lignicen. occiditur. 66
Henricus Probus Silesius Princeps Pol. 71
Principatu Poloniæ privatur, 72
Potitur rursus Principatu, 73
Veneno exstinctus, ibid.

Henricus *Glogoviæ Dux*, 78
Henrico *Duci Sagan. bellum infertur*, 87
Henricus *Plauenius Crucifer. Magister*, 109.
Iuramentum fidelitatis præstat Regi Pol. ib.
Henricus *Andium Dux*, 134
Rex Poloniæ designatur, ib.
Eius Cracoviam adventus, coronatio, fuga, ib.
Exauguratur, 135
A monacho occisus, ib.
Hospitalitatis *exemplum*, 67

I.

IAcobus *Suinka Archiepiscopus Gnesnen.* 74.
Ianusius *Masouius Dux Plocensis*, 112
Iaroslaus *Russiæ Dux*, 32
Iaropelcus *Halicienſium Dux*, 74
Russos ad defectionem solicitat, ib.
Eos profligat, ib.
Captus dimissusq3, ib.
Iazygæ *ad internecionem fusi*, 67
ad religionem Christ. adacti, ib.
Eorum reliquiæ deletæ 68
Iedlnæ *comitia.* 99
Iezeriscia *in potestate Polonorum.* 139
Impressio *Tartarorum in Podoliam.* 108
Imperium *multorum perniciosum.* 50
Induciæ *inter Pol. & Cruciferos*, 82. & 85
Triennales inter Ioan. Albertum Regē Pol. & Baiazetem. 112. & 113
Insigne *Regum Poloniæ.* 2
Ioannes *Boem. Rex. bellum Polonis mouet.* 88.
Ab illis funditur. ib.
Ioannes *Palæologus Imp. Constantinopol.* 102.
Copias Vladislao Regi promittit, ib.
Ioannes *Moscorum Princeps*, 110
Nouogrodum iuris sui facit, ib.
Ioannes *Laszczius Tartaros inuadit.* 108
Ioannes *Albertus Rex Polon.* 112
In Prussiam proficiscitur, 115
à Magistro Crucif. iuramentum exigit, ib.
apoplexiâ moritur, ib.
Ioan. *Kamenecius Castellanus Leopolien.* 120.
Tartaros profligat. ib.
Ioan. *Zamoiscius dux exercitus creat.* 140
Irruptiones *Tartar. in Poloniam*, 67. 70. 106.
Tauricanorum in Podol. & Volyn. 112.
In Litvaniam, Russiam, Podoliam, 118.
Iudicia *tribunalitia instituta.* 177

K.

KIoviæ *amœnitates & delicia*, 40
Kiovienses *Izaslaum ducem pellunt*, ibid.
Fame domantur. 42

L.

LEchus I. *Polon. Princeps*, 1
Leges sancit, 2
Eiusdem gubernatio. ib.
Lechus II. *Polon. Princeps*, 5
Succedit patri Craco, ib.
Fit fratricida, ib.
In exilium pellitur. 6
Legati *Regis Boemiæ*, 108
Caroli V. Cæsaris. 152
Lencziciæ *comitia.* 98

Leo

Leo *Russorum Dux*, 68
Lublin. & Sendom. oram vastat. ib.
Leopolis *à quo condita.* ib.
Lescus I. *Polonorum Princeps.* 9
Lescus II. *Polon. Princeps*, 11
Eius strategema ad Principatum, 12
Eiusdem interitus. ib.
Lescus III. *Polon. Princeps*, 13
Cur creatus, ib.
Eiusdem gubernatio, ib.
Lescus IV. *Polon. Princeps*, 15.
Carolum M. Imp. aggreditur, ib.
Perit in prælio, ib.
πολυτεχνία *eius.* ib.
Lescus V. *Polon. Princeps.* 25
Lescus VI. *Polon. Princeps*, 60
Bis cedit Principatu, 61
Principatum recuperat. 62. & 70
Lescus VII. *Polon. Princeps*, 68
Expeditiones ipsius, ib.
In Vngariam profugit. 70
Liblii *conventus Vng. & Pol. Regum.* 112
Lis *inter proceres de loco in Senatu.* 118
Litvani *Visnensem oram vastant*, 67
Lublinensem item. ib.
Litvania *Poloniæ vnitur.* 96
Livonia *bello intestino adfligitur*, 120
Eiusdem Reipub. forma restituitur. 141
Locustarum *vis in Lencic. ora & Masovia.* 100.
Lubovlæ *conventus Cæs. & Regis Pol.* 67
Lublini *comitia.* 128. 130. 131
Ludovicus *Vngarus Pol. Rex*, 90
Litvanos Russiâ eijcit, 92
Polonorum querelis fatigatur, 93
Naturæ satisfacit. ib.

M.

MAntonius *Caracalla Imp.* 5. (67.
Maior *Poloniæ ciuilib. bellis ardet.*
Mart. *Camienecius Palatinus Podoliæ.* 122
Lublin. & Sendom. oram vastat. ib.
Maslaus *Masoviorum tyrannus*, 39
Laqueo vitam finit. ib.
Masovia *Iuris Polonici facta*, ib.
ad corpus Poloniæ redijt. 123
Matthias *Vng. Rex Poloniam populatur*, 110.
Moraviam & Silesiam item, ib.
Mortem obijt. 111
Maximilianus II. *Imp. eligitur Pol. Rex.* 136.
Michael *Glinscius Dux Russus*, 118
ad Moscorum Ducem deficit. 120
Mieczislaus I. *Polon. Princeps*, 25
Vxores septem habuit, 29
Propagator Religionis Christianæ. 30
Mieczislaus II. *Rex Poloniæ*, 35
Expeditiones ipsius, 36
Impos mentis, moritur. ib.
Mieczislaus III. *cogn. senex Pol. Princeps*, 34.
Principatu deijcitur, 54
Eo rursus potitur, 55
Tertium Principatum adipiscitur, ib.
Iterum exauctoratur, ib.
Tandem moritur. ib.
Moravi *tributarij Polon.* 32
Moravia *à Polonis vastatur.* 45
Moscus *Plescoviam sibi subijcit*, 121
Smolenscum obsidet, ib.
Polociam expugnat, 130
In Livoniam irruptionem facit. 136
Moscoviæ *metropolis à Tartaris incenditur.* 132
Mosco *bellum à Rege Polon. denunciatur.* 138.

N.

NArvâ *à Rege Sveciæ capta.* 140.

Nicolaus Firleius Palatinus Lublinen. 120
Legatus ad Baiazetem Turc. Imp. 111.
Mittitur in Litvaniam contra Moscum, 120,
Nic. Camienecius Palatinus Cracovien. 121.
Nic. Radiuilus Palatinus Vilnen. 124.
Holmiam capit & Starodubum expugnat, ib.
Eius oratio Pathetica. 130.
Niscerda à Polonis capitur. 138.
Nobilitatis & Ciuitatum Pruß defectio ad Regem Pol. 97.
Nobilitas minor. Pol. à Lesco nigro deficit. 70.
Nobilitatis ius Litvanis Catholicis conced. 97.
Nobilitas Podolica & Russ. Polonicæ exæquatur. 100.
Nummus apud Polonos incognitus. 2.
Nuncii nobilitatis duo à Rege petunt. 140.
Eorum querela de libertatum immunitione, 141
Eorum protestatio adversus Regem 142.
Nuptiæ Caroli IV. Imp. cum nepte Regis Casimiri Magni, 89.
Casimiri Regis cum Elisabetha Austriaca. 107.

O.

OTTO III. Imp. reliquias Adalberti visitat. 32.
Boleslaum Polon. Regem facit. ib.
Otto Longus Elector Brandeb. Regem Pol. trucidat. 74.

P.

PACTA Casimiri Regis cum Cruciferis. 104.
Palatini in Polonia creati. 3.
Eorum imperium quale, ib.
Iterum administrant Remp. 9.
Parnavia Polonis à Svecis erepta. 130.
Eadem à Polonis recuperata. 131.
Parczoviæ conventus Pol. & Litvan. 107.
Pax cum Silesiis redintegrata. 100.
Cum Palatino Moldaviæ, 115.
Cum Mosco decennalis. 141
Persarum consuetudo Reges eligendi. 11.
Pestis in Polonia ingens. 89.
Petricoviæ comitia. 104. 106. 107. 109. 121. 122. 125. 127. 128. 129. & seqq.
Piastus Poloniæ Princeps. 21.
Eius successio desinit. 90.
Plescovia à Mosco subacta. 121.
Pocucia Moldauis erepta. 124.
Podolia à Casimiro M. occupata. 105.
à Turcis & Tartaris infestata. 123.
Polocia à Mosco oppugnata & expugnata. 130.
Eadem à Polonis recuperata. 138.
Pœnitentia Polonis inuncta. 39.
Polonægentis conditor. 1.
Polonia cædibus mutuis miscetur. 38.
à Tartaris ferro igneque vastatur. 66.
Poloni à Prutenis circumventi & cæsi 53.
à Valachis opprimuntur, 89.
Moscoviam vastant, 122.
A Tartaris contriti, ibid.
A Valachis cæsi. 124.
Pomerania 16.
A Polonis deficit, 44.
ab iisdem vastatur. ibid.

Popielus senior Poloniæ Princeps, 17
Eius mores & imprecatio. ib.
Popielus iunior Poloniæ Princeps, 19
Eius iuuentus polluta, ib.
Eiusdem mors portentosa. 20
Posnaniæ conventus Pol. cum Crucif. 121
Premislaus sive Lescus I. Pol. Princeps, 9
Nullos liberos reliquit. 10
Præmislia oppugnata & expugnata. 40
Præmislus Rex Poloniæ, 74
Confoditur. ib.
Principatus Pol. Conrado Masovio defertur. 70
Principum diversorum legati ad Regem Pol. 123
Prussiæ Orientalis mutatio. 123
Pruteni tributarij fiunt Pol. Regi, 32
à Polonis deficiunt, 44. 53
ad religionem Christ. adiguntur, 52
Sacerdotes eiiciunt, 52
Victi pacem petunt. 59

R.

RAphaël Leszczinius Præfectus Brest. 128
Repicha coniunx Piasti Pol. Principis. 21
Richsa Regina Poloniæ, 37
Odit Polonos & despicit, ib.
Fugit in Germaniam. 38
Riga in fidem Pol. Regis se dedit, 139
Ibi motus ob calendarium nouum. 142
Ritigerus Germaniæ Princeps, 7
Amoris impatiens mortem sibi conscisciit. 8
Romanus Vlodimir. & Halicien. Dux iuramenti sui immemor, 62
Ditiones Polonorum inuadit. ib.
Romanus Sangusko Dux copiarum Litvan. Vlam & Susam occupat. 131
Russia in provinciæ formam redacta. 86.
Russi Polonis obnoxij, 32
Rebelles fiunt, 35
In libertatem se asserunt, 44
Sendomirien. oram infestant, 76
Eorum clades ingens, 10

S.

SAmogitia religionem Christianam recipit. 82
Sendomirien. à Lesco Nigro defectio. 68
Sbigneus filius nothus Vladisl. Pol. Principis, 44
Mittitur in Pomeranos. ib.
Sendivoius Subinius maioris Pol præfectus, 9
Recuperat Gnievcoviam &c. ib.
Siemovitus Princeps Poloniæ, 23
Recuperat amissa, ib.
Cum Pomeranis & Cassubiis bellagerit. 24
Sigismundus Rom. Imperator. 97
Sigismundus Staroduben. Dux fit M. Dux Litv. 99
Sigismundus I. Polon. Rex, 120
Vxorem primam ducit, 121
Alteram ducit, 122
Augustus ei nascitur, ib.
Eius obitus. 126
Sigismundus Augustus Rex Poloniæ, 127
Vxorem ducit primam, 125
Ducit & alteram, 127
Gedanum venit, 128
Regiomontum invitatur, ib.
Tertiam ducit vxorem, ib.
Valedicit Cracovien sibus, 129.
Vitâ & regno defungitur. 132
Sigismundus III. Rex Poloniæ, 144
Coronatur ab Archiep. Gnesnen. ib.
Silesia à Polonis vastatur, 40

Ciuili-

Civilibus bellis flagrat, 67.81
à Polonis deficit. 81
Slavi *vicini ripæ Albis ad Germ. deficiũt*. 26
Smolenscum *obsessum & proditione captum*. 121
Sobeslaus *Boëmiæ Dux*, 50
Silesiam vastat, *ib.*
Socola *à Polonis capta*. 138
Sophia *Sig. I. Regis filia Duci Brunsvicen. nuptui data*. 129
Stanisl. *Sczepanovius Episcopus Cracov.* 421.
Minutim conciditur. *ib.*
Stanisl. *Lascus ad comitia August. legatus*. 135.
Starodubi *expugnatio*. 124
Stenzicij *conuentus de nouo Rege*. 131
Stephanus *Valach. Palatinus*. 108
Stephanus *Moldaviæ Palatinus*, 114
Polonos clade afficit. *ib.*
Stephanus *Bathoreus Pol. Rex*, 135
Gedanenses proscribit, 136
Mosco bellum denunciat, 138
Bellum gerit cum Mosco, *ib.* & 139. 140.
Mortalitatem exsuit. 142
Sventopelcus *Pomeraniæ citerior: Dux*, 63.
Lescum *Polon. Principem obtruncat*, *ibid.*
Svidrigello *Litvaniæ Dux*, 97.99.105
Moritur. 142
Susa *à Polonis capta*. 138

T.

TArtari *Lublinen. oram invadunt*, 66
Sendomiriam expugnant, *ib.*
à Polonis profligantur, *ib.*
Poloniam populantur, *ib.*
à Duce Ratiborien. malè excepti, *ib.*
Sendomiriam capiunt, 67
Eorum incursiones in Poloniam, 88
Podoliam vastant, 105.106.198
Excurrunt in Lucen. & Olescen. oram, 106. & *seq.*
Volyniam populantur, 109
Russiam & Poloniam vastant, 115. 121.
Eorum eruptio in Litvan. 120. 121. 122.127
Tauricanorum *in Podoliam & Volyniam excursio*. 112. & 122
Templa *à Casimiro M. Rege condita*. 88
Terræ *motus in Polonia*. 36
Tirnaviæ *conventus Vngarorum*. 93
Toruniæ *prima comitia*. 136
Tragœdia *Syndicorum Rigiensium*. 142
Transactio *cum Conrado Masovio*. 113
Tribunal *in Polonia institutum*. 137
Triumviri *in Polonia*. 103
Turcæ *in Russiam se effundunt*, 114
Cum Tartaris Podoliam inuadunt. 123.
Turoulia *à Polonis capitur*. 138

V.

VAlachia *in fide Polonorum*, 96
à Polonis igne ferroq; vexatur, 121.
Eius Palatinus Russiam vastat, *ib.*
Valachicum bellum, 114
Valachorum clades. 121
Vanda *virgo Poloniæ Princeps*, 7
Dijs se devovens in flumen se præcipitat. *ib.*
Varsaviæ *comitia*. 130.131.133.136.138. & *seq.*
Vectigal *rastrale*. 93

Venceslaus *Boëmus Rex Poloniæ*, 76
Gostinum & Plosc um invadit, 77
Inter homines esse desiit. *ib.*
Venceslaus *Burggravius Dhonanus*. 97
Venda *à Mosco oppugnata frustra*. 138
Victoria *Polonorum de Cruciferis*. 84
Vielicolucum *in Polonorum potestate*. 139.
Viennæ *conventus Cæsaris & Regum Vng. & Pol.* 121
Vilhelmus *Ciliæ Comes*. 96
Vincent. *Cadlubcus primus Polon. rerum scriptor*. 6
Vincent. *Szamotulius Palatinus Posnanien sis*, 82
Deficit ad Cruciferos. *ib.*
Visliciæ *comitia*. 88
Visnensis *oræ vastatio*. 67
Vitoldus *M. Dux Litvaniæ*, 96
Litvaniam regnum constitui cupit, 98
Mortem obijt. 99
Vistula *ad Torunium vadabilis*. 109
Vla *& Susa captæ*. 138
Vladislaus *I. Princeps Poloniæ*, 42
Boëmos clade afficit. 44
Vladislaus *II. Princeps Poloniæ*, 49
Fratribus bellum infert, 50
Ab ijs vincitur, & Principatu exsuitur, 51
Exul cum vxore & liberis, *ib.*
Naturæ satisfecit. 52
Vladislaus *Lasconogus Princeps Pol.* 61
abdicauit se Principatu. 62
Vladislaus *cogn. Locticus Sirad. Dux*, 72
Henricum Probum Principatu deijcit, *ib.*
Ipse vicissim deturbatur, *ib.*
Ad Monachos confugit, 73
Ad regnum adspirat, 75
Silesiam vastat, 76
Libidini deditus, *ib.*
Principatum iterum amittit, *ib.*
In Vngariam profugit, 77
Peregrinationem suscipit, *ib.*
Reversus in Poloniam sit Rex, 78
Bellum Glogovien. Duci facit, *ib.*
Cum Litvanis fœdus init, 82
Masoviam vastat, *ib.*
Cum Cruciferis bellum gerit, 84
Tandem vitâ desungitur. 85
Vladislaus *Albus Dux Gnievcov. fit monachus*, 92
Turbat maiorem Poloniam, *ib.*
Zlotoriam & Gnievcoviam suam facit. *ib.*
Vladislaus *Opolienſium Dux*. *ib.*
Vladisl. *Iagello M. Dux Litvaniæ*, 94
Idem Rex Poloniæ creatus, *ib.*
Fit Christianus, 95
Vxorem ducit, *ib.*
Litvaniam Poloniæ adiungit, 96
Religionem Christ. in Litvan. inducit, *ibid.*
Vladislao Opolien. bellum infert, *ib.*
Secundam vxorem ducit, *ib.*
Cum Cruciferis bellum committit, 97.
Pontifici Rom. obedientiam defert, *ibid.*
Vxorem tertiam ducit, 98
Eâ mortuâ quartam ducit, *ib.*
Cruciferos iterum castigat, *ib.*
Mortem cum vita commutat. 100
Vladislaus *Iagellonides Rex Polon.* *ib.*
Cum Silesiis pacem init, *ib.*
Fœdus cum Crucif. & Vng. facit, *ib.*
Creatur Vngariæ Rex, *ib.*

Amuratem prælio superat, ib.
Tandem in prælio occubuit. 130
Vladislaus *Casimiri R. filius Boëmiæ Rex.* 109.
Vngari *à Matthia Rege alienati,* ib.
Casimirum Regis Casimiri filium Regem sibi dari petunt, ib.
Fide mutata ad Matthiam transeunt, ib.
In diuersa studia sciſsi. 111
Vnius *imperium tutiſsimum.* 50
Volodorus *Dux Premisl. periurus.* 47
Volynia *iuris Polonici.* 41
Vratislaus *Boëmorum Princeps.* 40
Vsviatæ *deditio.* 139

Z.

ZApolia *in diplomatum vsus designata.* 140
Zavichostum *à Tartaris inflammatum.* 66
Zavolgenses *Tartari.* 108
Zavolocia *in Polonorum potestate.* 139
Ziemomyslus *Polon. Princeps,* 27
Ei filius cæcus natus, ib.
Visum pòst recepit. 28
Ziemovitus *Masoviæ Dux,* 88
Regi Pol. iuramentum præstat. ib.
Zlotoria *oppugnata & capta,* 92.
Zvolèni *comitia Polonorum.* 93.

FINIS.



Sphalma-

Sphalmata Typographica sic corrigenda.

In præfat 1. p l.15. expung & p.4 l.7. ære. Pag 10. l. 13 lege salutatur. p.16. l.2. Spicimirum. p.21. l.2. post procerum adde Crusviciæ. p 25. l 7 Lachmanum p. 26. l. 1. aliud. p. 36. l. 3. exercitum. p. 39. l 13. post effusa add obviam p 41 l vlt Vusevolodum. p. 53. l 12 Expung. sunt p. 58 l 9. conditio pro mutatio p 61 l. 2. Expung. qui. p. 62. l. 3 Cracovienſis. p 66 l. 10. insecutus. p 67. l 26 post Russos add. elatos. p. 72. l 18. Silesiam: post relicto add Cracoviæ. p 85 l. 26 post legatus add. qui apud Pontificē perfecit, vt is iudices ea de re in Poloniam & Prussiam mitteret l. 28. curarent. p. 86. l 2. mandato. l. 6. causâ. p 87. l 3. Tam. p. 90. l 9 libidinem. p 99. l 9 strategemate. p. 102 l. 2 liberandæ p 106. l 25 fremebant. p. 107. l. 30. post postmodum add. cum. p. 108 l. 5. Podoliam p 109 l 2 abegerunt l 9. Poloscum. p. 113. l. 11 Turobinum. p. 116. l. 4. expung ab. l. 20. Pocucie. p. 24 l 18. Russia. l. 19. Podolia. p 130. l. 20. millia. p. 140. l. 22. Moscum. p. 141. l. 2. Polociam. Reliqua levicula, si quæ occurrent, Lector per se corriget.

FINIS.



FRANCOFURTI,



TYPIS HARTMANNI PALTHENII,
Prostat in Officina Lucæ Iennis.

ANNO M. DC. XX.

600
8.4.67
080843



FRANCOFURTI
TYPIS HARTMANNI PALTHENII
Praelatis Officinæ Liberæ Idibus
ANNO MDCXX